

661. DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

VITIIS
CIRCA SOMNVVM
VIGILIASQVE,

Quam

AVCTORITATE GRATIOSISSIMÆ FA-
CVLTATIS MEDICÆ,

IN ALMA PHILYREA,

SVB PRÆSIDIO,

DN. MICHAELIS ERNESTI
ETTMÜLLERI,

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS, PHY-
SIOLOGIÆ P.P. ET FACVLT. MED. AD-
SESSORIS,

PATRONI AC PROMOTORIS OMNI HONORIS
CVLTV DEVENERANDI

PRO DOCTORIS GRADV

IN MEDICINA LEGITIME OBTINENDO

CENSVRÆ PVBLICE

EXPONIT

A V T O R

M. JOHANNES CHRISTOPHORVS LISCHWITZ,

Laub. Lufat. Medic. Baccal.

ANNO MDCCXX. DIE XIV. JUNII.

H. L. Q. C.

LIPSIAE, LITTERIS SCHEDIANIS.

*Johannes
Patriol. 484. Vigiliae v.*

athol. gen.

209,22

V I R O

PRÆ - NOBILISSIMO, EXPERIEN-
TISSIMO ATQVE EXCELLEN-
TISSIMO,

D O M I N O,

DN. MARTIN. NABOTH,

PHILOSOPHIÆ AC MEDICINÆ DOCTO-
RI CELEBERRIMO, CHYMIÆ P.P. MERI-
TISSIMO ET PRACTICO LONGE
LATEQVE FAMIGERA-
TISSIMO,

PATRONO ET PRÆCEPTORI
PER DIES VITÆ COLEN-
DISSIMO,

PRÆSENTEM DISSERTATIONEM

cum voto omnigenæ prosperitatis

d. d. d.

A V T O R.

VIR EXCELLENTISSIME!

QUæ dudum jam Veteribus usu recepta fuit consuetudo, ut, si quem librum composuerant, Patrono inscriberent, hodie quidem laudatur ab his, culpatur ab illis. Etenim non pauci existimant congruum commodumque esse hoc pacto nomen a calumniis & obtreccatione malevolentium vindicare, vel grati animi signa de se prodere studiorumque amplificatores quærere; ex adverso permulti erubescunt suos ingenii foetus dedicare cuidam, habentes dedicationem scriptorum pro re indigna & dedecente; imò constat ex historia literaria, nonnullos eruditorum nullis persuasionibus eo adduci potuisse,

ut aliquod ingenii monumentum Viris conspi-
cuis consecrassent ; Non mihi in præsentis su-
mam hanc litem fusius examinare atque ra-
tionibus ponderare , refutabo autem ipso fa-
cto, illorum insistentes vestigiis, qui sua specimi-
na nuncupare Viris Eruditis assolent. Cum
igitur hætenus TE, VIR EXCELLEN-
TISSIME, & Patronum & Præceptorem
expertus abunde fuerim fidelissimum, multis-
que nominibus TUUS in me AFFECTVS
prolixissimus aperte mihi constet, non potui
non in grati animi tesseram TIBI TUO-
QVE CELEBERRIMO NOMINI
chartaceum hoc munusculum inscriptum ex-
hibere, quod, quale quale sit, benigne, quæso,
suscipe diuque vale ad affectum

TUI

Per vitam studiosissimi observantissimique

JOHANNIS CHRISTOPHORI LISCHWITZII.



Q. D. B. V.

§. I.



Um lucem non exiguam morbis explicandis affundi constet, si, prius quam de læsa functione tractatio instituat, præmittatur status sani & naturalis brevis & perspicua historia: non credidi supervacaneum, somni vigiliarumque, in fronte statim Dissertationis, prout existunt secundum naturam, præmittere succinctam delineationem.

§. II.

Somnus, si ejus etymologiam evolvo, teste *Gellio l. XIII. C. IX.*, græcum origine est vocabulum, quod in principio fuit *ὑπνός*, deinde, a Latinis patria donatum, *sypnus*, tandem, ob cognationem γ græci cum latino *o*, *sopnus*, & denique euphoniæ ergo & per *Æolismum* pronunciatum fuit, *somnus*.

§. III.

Definitiones ejus varias, apud veteres, evolvere licet, ut aliquam saltem adducam, præ omnibus arridet *Plinii L. 10. natur. histor. c. 75.* ubi somnum nihil esse dicit aliud, quam animi in medium sese recessum; & *zabarella L. de nat. const. c. 32.* nihil aliud somnum esse asserit, quam sensuum ab operationibus quietem & cessationem; ad quam proxime accedit *Avicennæ & Scaligeri*, somnum per quietem & cessationem ab actionibus, explicans definitio.

§. IV.

Quibus præmissis, meam, sequentis tenoris, subjungere licebit definitionem: nempe Somnus est aliqualis & relativa quies spirituum, & corporis animati vivi, qua cessante ab operationibus sensualibus & motibus voluntariis ad consuetum

A 3

tempus,

tempus, virium pulchre conservatur æquilibrium, ut sic spiritus & totum corpus vivum alternando vitæ ordini & vicissitudinibus humanis fiant idonei atque sufficientes.

§. V.

Ne autem supponere & gratis asserere spirituum quietem videar, tentabo sequentibus ejus probationem. Præsuppono, certo certius esse, functiones sensuum & motus omnes deberi principio agentis, insito & influo vivo; corpusque organicum ens esse mere passivum, nunquam semetipsum movens, sed per se quiescens semper; hoc ipsum movens aliud esse non poterit, quam spiritus in corpore humano hospitantes, qui ipsi si in homine considerentur, respectu mentis, ad corpus referendi sunt, utpote qui, perpetuo fluxu, non aliter ac corpus, minuuntur rursusque augentur, quorum neutrum in mentem, utpote spiritum purum, omnisque materiæ expertem, intellectualium omnium functionum autorem atque præsidem, cadit. Ex quibus itaque nunc arguo, cum in vigiliis quidem agendo exerceamus mentem æque ac animatum corpus vivum, mens vero imminui nequeat, sicque auctione vix indigeat; mentis in somno aliam quietem concipi non posse, quam tranquillitatem, inter dormiendum vero, dum clarum est, mere sensuum & motus animalis voluntariique functiones cessare; rursus liquet, subjectum somni verum, esse spiritus animales, his functionibus destinatos. Vix autem dubitabit ullus somni tempore cessare animales & sensuales functiones; nemo enim sanus unquam inter dormiendum epulis interfuit, choreas duxit, conciones audivit, fragrantissima odore exploravit, aut a contrectatione, nisi forte duriori, affici facile potuit, utpote, quæ omnia in somno sepultis cessant, dum nempe spiritus defatigati quiete robur refectionemque quærentes; mente semper manente interea in sanitatis statu tranquilla, corpus in eum deferunt statum, quem uno ore omnes dicere somnum solemus.

§. VI.

Ut adhuc clarius patefcat, somnum in quiete spirituum consistere, explicandum est, qualem & quam quietem intelligi hoc loco velim. Nimirum non assero, spiritus, inter dormiendum,

dum,

dum, totaliter & absolute ab omni sensu & motu quiescere penitus, somnoque veluti extingui; sed intelligo solum quietem respectivam & relativam. Quemadmodum enim aërem ventis non commotum dicimus quietum, quamvis perfecte quiescat nunquam; ita pari jure spiritum in somno quiescere dico, respectu nempe vigiliarum. Quiescere autem inter dormiendum spiritus, i. e. blandius moveri, videmus, inter alia, ex tardiori, eam ob causam, inter dormiendum chylicatione, quem enim fugit, vigilantibus spiritibus digestionem citius, sex circiter horis; dormientibus vero, i. e. quiescentibus spiritibus, concoctionem tardius, duodecim & pluribus ultra horis, succedere; ut hac occasione non possim non mirari *Willisium* in *an. brut.* p. 129. contra manifestam experientiam affirmasse: viscera coctioni dicata in somno munia sua melius ac citius quam in vigiliis obire. Hoc itaque sensu spiritus aliquatenus quiescere manifestum est, idque respectu actionum animalium magis, minus vero ratione actionum vitalium, utpote somni tempore, solenni circulo, celebrantur, respiratio, chylicatio, humorum secretio, circulatio, nutritioque. Sicque nullo modo ab omni motu quiescere volo spiritus, imo aperte fateor, in ipsis adeo sensoriiis externis non penitus feriari dormiendum inter, siquidem ex profundissimo sæpe somno facile experge fieri possumus, clamore, ostii pulsatione, punctura, contrectatione aliisque externis objectis; his etiam non moventibus per sæpe inter dormiendum hinc & inde in stragulo varie membra jectitamus, moxque in hoc mox in aliud nos latus convertimus. Tandem quod internos sensus concernit, illi pariter neque prorsus, neque omnes quiescunt somni tempore; namque phantasia satis subinde agilis existit, varia nectit disnectitve, mirasque sæpe fingit ac pingit imagunculas, sæpe dormientes in unum alterumve prorumpunt verbum, spiritusque subinde clamorem, ejulatum, risum & alia dormiendum inter moliuntur, quæ ex insomniis non obscure apparent, de quibus infra locus agendi erit.

§. VII.

In præsentiarum saltem probe notetur, nihil implicare, ubi dixero, quiescere spiritus, minui eos, rursusque augeri: sunt enim

enim

enim quidem augmenti & decrementi expertes spiritus incorporei & puri, non vero æque spiritus animales, utpote corporei, de materia participant, ex materia geniti, alimentum quærentes, humorum imprimis sanguinis conditionem sequentes, maxime limitati & ad naturam forte materiæ subtilissimæ, elementaris, igneæ ac ætheris suo modo accedentes, attamen implicat, dicere spiritus animales quiescere ab omni motu penitus, quod satis superque jam explicavi in modo dictis; hoc tantum superaddere liceat, non utile fore corpori, si spirituum inter dormiendum motus omnis deficeret; sane enim a somno non interrumpi debent motus cordis, thoracis, pulmonis, diaphragmatis, motus ventriculi & intestinorum peristalticus, aliarumque ad vitam tuendam necessariorum partium.

§. VIII.

Somni, in quiete spirituum, procul omni dubio consistentis in examen nunc vocanda venit causa. Quare ut brevissimis me explicem, existimo, constare omnibus, spirituum defectum ac defatigationem lassitudinemque ex motus sensusque diurni ministerio, cessanteinque sic agilitatem & inde subsequentem spirituum ad interiora retrocessionem, veram esse somni causam. Quis ignorat, quam suavis defatigatio sit somnus? Hunc optamus, post V. Sm, balnea, venerem, & quando spiritus & cum his vires nostræ subinde debilitantur. Siquis igitur scire aveat, quare somno detenti non sentiamus, videamus, audiamus &c. in promptu erit responsio, fieri id ob spirituum in sensoriis insufficientiam. Quandocunque enim fibræ organorum a spiritibus non satis tensæ sunt, tunc non nisi obscure sentimus, eandem ob causam, dormientes palpebras non possumus sustinere, oculos aperire; quodsi etiam aperti essent oculi, reciperentur quidem species visibiles, sed absque sensuali cognitione instar speculi; quoniam a spiritibus sufficienter animati hoc tempore non sunt oculi; idem iudicium ferendum est de reliquis sensibus dormiendum inter quiescentibus, e. g. aurium tympana, relaxatis ossiculorum musculis expansivis, sonum irruentem nec satis excipiunt, nec spiritus attendunt. Quæ omnes sensuales & animales actiones deficiunt, propter nominatam somni causam, spirituum videlicet

videlicet lassitudinem. Cum enim inter vigilandum spiritus nostros impendamus laboribus, quibus animum æque ac corpus strenue exercemus, aliis inserviando consumimur, sicque spiritus plures dispensantur, quam pnevmatosi suppeditantur, præsertim in subjectis natura debilioribus; unde facti imbecilles spiritus, ex sapientissima naturæ regula, officinam & organa sua functionum deserunt, atque suapte sponte ad interiora recedendo, emensis diurnis laboribus, nocturna requie refectionem quærunt. Quo autem gravioribus laboribus defatigatus homo est, eo profundius, de cætero sanus, dormit, & quo profundius dormit, eo profundius immergi veluti delitescunt spiritus: Patet inde, cur somnus primus dicatur fortior, homoque somno primo vix excitabilis, instar mortui, sepultus lecto jaceat.

§. IX.

Hæc omnia a pluribus facile conceduntur quidem, ast circa assertam delassatorum spirituum ad interiora retrocessionem non pauca scio moveri dubia: succincte præsentis paragrapho recenserebo contradicentium sententias. Primum nomine *Willisium* qui in *Tractat. de anima brutor. c. 16.* retrocessionem spirituum e sensoriis audacter negat, asserens, motum spirituum e cerebro versus sensoria ac motus organa intercipi. Sequuntur alii, qui volunt spiritus somni tempore sensoriis denegari, propter nervorum obstructionem, quam dependere ajunt a pressione humorum, sanguinis præcipue in cerebri vasis circulantis nervorumque principia prementis, cui pressuræ dum fibræ nerveæ non amplius satis rigidæ & tensæ resistere valerent, illico ob denegatum ad partes spirituum affluxum inde somnum subsequi. Alii cum *Aristotelicis* causam somni esse volunt vapores & humores in caput assurgentes. *Alphonsus Borellus de motu animali part. 2. propos. 162.* innuit succum nutritium ex chyli accessu ebullientem ac effervescentem obturare post partum canales nervosos, sicque, porta clausa, ad extremitates spiritibus denegari transitum. *Crone in Tractat. de musculor. motu* statuit, causam somni a retardata sanguinis circulatione dependere, & saltem in vasis majoribus somni tempore circulum celebrari, in minoribus

B

vero

vero cessare penitus. Atque tandem sunt, qui somni causam derivant ab oleositate chyli spiritus ligante & figente, quos inter eminent *Borrichius de Somno & Somniferis*, *Franciscus Baco de Verulamio & Celeberrimus Beatus BOHNIUS*. De quibus controversiis, quid sentiam sequens mox indicabit paragraphus.

§. X.

Priorem quidem quod concernit sententiam, circa eam, tametsi varia moneri possent, sufficiat tamen refutationis loco dixisse: quod *Willisii* assertio hypothese præconcepta nitatur, ac si interni sensus fiant intra cerebrum, supponit hoc errore seductus l. c. spiritus illos dormire primum, qui globosam cerebri inhabitarent partem; precarium vero hoc esse suppositum vel inde docemur, quando sæpe imminente somno sensibus internis adhuc dum vigentibus organa externa obdormiscere incipiunt, pedibus stantibus lapsus imminet, lucubrando meditantibus liber, cujus in lectione adhuc dum occupatus erat animus, præter intentionem e manu elabatur, argumento, ni fallor, manifesto, organa externa ob spirituum retrocessionem ad interiora somno jam sopiri, ubi agiles adhuc in cerebro muniis suis spiritus fungebantur. Alterum quod nunc attinet dubium, illius falsitas apparet partim ex modo dictis, partim ex nunc dicendis ulterius: nimirum quæ opponitur nervorum obstructio, non minus ac hypothesis *Aristotelica*, *Borelliana*, *Croniana*, aperte est fictitia ac mere imaginaria; etenim vapores e ventriculo adscendentes jamdudum refutata fatis veterum medicorum cantilena exspirarunt, locumque inter non-entia invenerunt, quos ubi etiam fingere licitum esset, intelligi non potest, quænam foret vaporum via ad nervorum in cerebro principia, & quodsi etiam via concederetur, inevitabili tamen necessitate, ex hac hypothese, post partum semper dormiendum nobis esset; quæ omnia contra manifestam loquuntur experientiam: per succum vero nutritium nervos obstruentem quid sibi velit *Borellus* nondum video; certe enim desideratur clarus & distinctus hujus figmenti conceptus, quod si vero intelligi debet succus nervosus aut spiritus animales, absurdum erit dicere

cere

cere spiritus animales premere semet invicem ipsos; ubi vero diversus distinctusque a spiritibus animalibus succus alius concipi debet, fingendi ante omnia erunt alii in nervis canaliculi vehentes hunc succum, alii vehentes spiritus; cum vero præter spiritus nervi nil quicquam vehant, evanescit exin ficta hujus succi somni causa. Quod vero de circulo sanguinis retardato opponit *Crone*, nititur hypothese de anastomosi vasorum, quæ autem dum non existit venosas inter & arteriosas vias, alia concipienda non est circulatio, quam quæ perenni & interrupto motu per vasa æque majora ac minutissima contingit. Denique quod aliorum attingit oppositam humorum sanguinis præcipue circa nervorum initia pressuram; sane ab hujusmodi pressura non somnum naturalem, sed præternaturalem, fatalem & morti proximum deduci posse, cuilibet rem probe ponderanti innotescit, ut refutatione non egeat hæc objectio. Tandem de oleositate chyli somnum causante sententiam admittere vix possum, quoniam per observationes constat, sanos æque ac ægros subinde dormire; si vel per integrum diem & plures ab omni cibo abstinerint, ex quo oleositas chyli ad somni causam debuisset præparari; imo dormiunt & illi, quibus chylus plane non existit oleosus, sed serosus, aqueus & præternaturaliter varie depravatus, alia ut silentio prætermittam.

§. XI.

His igitur remotis, salva manet spirituum relativa & respectiva ad requiem ex sensoriis retrocessio, somni vera, immediata ac proxima causa. Nolo autem retrocessionem hanc alligari præcise cuidam habitaculo, neque enim assero, spirituum dormitorium in glandula pineali, neque in medulla oblongata, neque in corde neque in alia seorsim parte; sed ad interiora spirituum retrocessio saltem innuit, spiritus non adesse in tanta copia, energia ac agilitate, qualis ad sensum motumque requiritur, quatenus itaque ab exercitio sensuali motuque animali & locali remittunt spiritus, eatenus ad interiora retrocedunt, unde illorum in organis non plenarius defectus, sed relativus asserendus est; retrocedunt tamen vere,

quatenus linqvunt obeunda in organis munera, iisdemque amplius non præfut.n

§. XII.

Ex hæcenus dictis causas antecedentes occasionales me excludi nolle, intelligit facile quilibet. Sic lubens volensque utraque manu largior, recensenda inter somni causas esse omnia, quæ spiritus debilitant. Pertinent huc labores animi & corporis & vere ad defatigatos quadrat: *nach gethaner Arbeit ist gutt ruhen.* Attamen etiam ad somnum disponit desidia & ab omni labore remotio, ubi auris nil habet, quod audiat, oculus, quod videat, manus, quod tangat, gustus & odoratus, quod explorent, quid mirum, si spiritus desides relinquunt sensoria a sensibilibus externis vacua, seque ad somnum componant. Alimenta & potulenta largo haustu sumpta occasionem somno præbent, nimia siquidem copia assumptorum gravat spiritus & ad interiora allicit, quo fiant digerendis inveta copia assumptis pares, unde plenus venter non studet, non vigilat libenter. Patet inde, cur ebrietas ad somnum disponat, maxime ingurgitatis spirituosis, spiritus etenim peregrinus & alienus impetuosius haustus & mole & cruditate spirituum animalium agilitatem & alacritatem turbat & obtundit, ut sic sui juris amplius permanere non valentes impotes facti requie auxilium quærant. Ebriorum exemplum spirituum retrocessionem mire docet, quantumvis enim organis externis strenue agere velint, manus quidem ad capienda pocula, pedes ad choreas & saltus movere cupiant, dum tamen spiritus incipiunt ad somnum se componere, linquendo organa, pedibus vix insistere, manibus vix tenere, lingua vix eloqui fatiatus epulo, quantumvis adhuc dum vigilans velit, potest. Dissolvuntur enim tum demum membra fluuntque, debile fit corpus, languescunt omnia membra, brachia palpebræque cadunt, poplitesque procumbunt. Porro assumpta medicamenta, imprimis somnifera, somnum causari valent, qualia sunt papaverina, opiata, nicotiana, *sem.* daturæ & omnia narcotica, quatenus ab illorum vi hypnotica spiritus animales confunduntur, infringuntur & in torporem rediguntur. Aer calidior itemque frigidior, balnea, inedia & evacuationes p. n.

spiri-

spiritus debilitantes, ut Venus immoderata, diarrhoea, hæmorrhagia, sudores nimii & multa adhuc alia ad hanc causarum classem jure debent referri.

§. XIII.

Perutilis atque non injucunda nunc incidit quæstio; Cur statuto quodam & fere juste emenso, nec facile alio tempore & somnus nos obrepit & vigiliæ redeant? Ad quam ut paucis respondeam, id omne consuetudini in acceptis ferendum esse firmiter persuasus sum. Cum enim spiritus animales defatigati ad remittendos motus proclives, sensoria externa quodammodo derelinquentes versus interiora sese recipientes dulci somno tamdiu subinde fructi fuerint, usque recuperatis viribus ad pristina organa sufficienti robore redeuntes a somno iterum semel atque iterum evigilaverint, atque hæc vicissitudo ex Naturæ sic volentis beneficio iterum atque iterum feliciter cesserit & rursus commode juxta votum alterna semper vice evenerit; ideam illam, nunc remittendi, nunc rursus intendendi motus sensusque, fortiter sibi impreserunt spiritus, unde hoc motu, hæc quiete etiam atque etiam statutis temporibus repetita, tandem ex crebriori & reiterata sæpius emenso temporis articulo hac spirituum tolerantia, consuetudo, altera natura, facta fuit. Unde qui post prandium somno diurno non sunt asveti, vix ac ne vix quidem sani dormire desiderabunt, qui vero semel post pastum in consuetudinem abit somnus, ideam impressam retinentes spiritus urget deinceps sedulo. Eandem experiuntur consuetudinis energiam & quibus aurora & quibus in seram noctem lucubratio semel facta est amica; alter enim ubi præter asvetudinem summo mane evigilare, & alter, præter morem, in summum diem dormire voluerit, idem se non posse suum velle uterque experietur. Nec alia subest ratio somni in aliis ad paucas, ad plures vero in aliis perdurantis æque ac vigiliarum durantium, horas, longiori enim asvetus somno brevi vix evigilare potest; breviori vicissim somno contentus diu multumque vix dormire poterit. Insigni suo hanc consuetudinis efficaciam damno experiuntur, qui suo naturam genio, cui noxium omne existit insolitum, depauperare nulli dubitant,

quia, quod contra aſuetudinem molimur violenter, ſpiritus noſtros cum præſentaneo ſanitatiſ periculo, turbat, confundit, inquietat ac penitus proſternit. Extendit ſeſe hæc conſuetudiniſ viſ æque ad motuſ voluntariuſ, involuntariuſ ac ad mixtoſ, æque ratione certi temporis ac certi modi; ſic enim e. g. alvinarum fœcum egeſtioneſ ad juſtum tempuſ adque juſtam fere menſuram modumque juſtum conſuetudine adſtringi poſſunt, quod lepida *Williſii* huc quadrans hiſtoria non obſcure tradit, refert enim morionem quendam per crebram conſuetudinem contraxiſſe ſibi habitum, bombiſ (putat ventriſ flatibuſ) ſuiſ horam prandio deſtinatam ſignificare. Ignota non ſunt exempla, ubi homo certa noctiſ hora ſemel expergefactuſ, ſpirituſ ad alacritatem, impreſſa firmiter idea, adſuetiſ, eadem ruruſ hora, ex aliquotiſ repetito actu omnibuſ ſequentibuſ noctibuſ lubenſ volenſque jugiter certo evigilaverit, ſi vel maxime etiam admodum ſero cubitum iverit, qui deincepſ pro conſuetudine eadem nocte ſomnum tranquille continuare potuit.

§. XIV.

Vigiliarum hiſtoria ſomno explicato, dum oppoſitorum eadem eſt ratio, nunc longiori non indigebit explicatione, quia tamen oppoſita juxta ſe poſita magiſ eluceſcunt, commode vigiliarum ſuccincta venit ſubjungenda tractatio. Mitto autem aliorum recenſendas definitioneſ, miſſa etiam ſupervacanea nominali definitione, meam eamque realem ſequentibuſ pono verbis: Sunt nempe Vigiliæ naturalis ſpirituum animalium agilitaſ & totiuſ corporiſ animati vivi activitaſ, ipſiuſque mentis alacritat, ubi homo ſanuſ ſui rerumque ipſum efficienſium probe conſciuſ omneſ ſenſuum & motuum functioneſ vigore optimo pro virili exercet liberrime & ſecundum variat intentioneſ.

§. XV.

Contingit autem evigilatio, quando ſpirituſ ſomno reſecti, a quiete remittenteſ, ruruſque ad extremitateſ, organa & ſenſoria externa redeunteſ, nova elatiſticitate imbuti, ſeſe expandenteſ, majori, quam ante ſomnum, tendentia, ad munia ſua alacreſ ſeſe denuo accingunt, qui ſtatuſ agilitatiſ, pro conſuetu.

ſuetu.

svetudine & roboris sufficientia, in aliis durat longius, brevius in aliis.

§. XVI.

Causas circa quare diu morer non video. Sunt enim facile colligendæ ex hætenus adductis. Interna siquidem vere est novum spirituum quiete acceptum robur sufficiensque ad actiones subeundas refectionio. Consuetudinis qualis erat ad somnum, eadem & hic ad evigilationem ipsasque vigilias est efficacia & valor. Interim sunt & attendendæ causæ externæ occasionales, quibus spiritus commoti somnum excutiunt. Sic evigilare solemus, ubi sonus vehemens aures, lumenque per dormitorium clarum undiquaque diffunditur, hucque sensibilia verbo omnia spectant, odorabilia, gustabilia tactusque excellentiora objecta, utpote concussiones, vellicationes, puncturæ & quæcunque nominari possunt, a quibus omnibus induciæ & requies spiritibus non conceduntur.

§. XVII.

Ex utriusque Vigiliarum æque ac Somni statu sano ingens & maximi ponderis enascitur utilitas. Vigiliarum enim tempore solum vitam, quam vivimus mortales, vivimus; somni autem tempore mortem, quam subire vere tandem ex naturæ lege debemus, veluti morimur; quid enim quæso somnus est? nil nisi gelidæ mortis imago. Agnovit hoc suo jam tempore Romanæ Eloquentiæ Princeps, Cicero, quando L. 1. de divinat. dormientem ad actiones æque esse dixit idoneum ac mortuum; Aliique passim sapientes Ethnici somnum refectioni quidem judicarunt necessarium, quem tamen, si per dies noctesque continetur, mortem dixerunt. Quare Plato L. 7. de legib. nimium somnum nec corporibus, nec animis, nec etiam horum actionibus præesse autumat. Nec male. Somnus namque immoderatus atque nimius segnes atque torpidos reddit spiritus, hebetes, eosque obfuscat:

Cernis ut ignavum corrumpunt otia corpus;

Et vitium capiunt ni moveantur aquæ.

E contra moderatus & modicus somnus spiritibus animalibus refocillandis, viribusque per diem amissis recolligendis & conservandis, non tantum maxime est utilis, verum absolute
necessa.

necessarius; ita, ut nisi alternent somnus & vigiliæ, fatalis non possit non sequi dies, nempe ultima omnium rerum linea, mors. Eo enim hominis post deflebilem protoplastorum lapsum devenit miseria, ut, quod caret alterna requie, durabile non sit. Quanti ne est in agrypnia & pervigilio faciendus tranquillus somnus? optimum certe arcanum supra omnes Panaceas pretiosissimas, ut magnificandus sit medicus, qui ad reparandas vires, fessaque membra levanda Naturæ egenti commode & tuto applicare potest somniferum, siquidem somnus dulcedine sua spiritibus debilitatis si quid unquam, specificè prodest. Quod canit Poeta:

*Somme, quies rerum, placidissime somne DEorum,
Pax animi, quem cura fugit, tu pectora duris
Fessa ministeriis mulces reparasque labori.*

§. XVIII.

Sufficiat hæc brevis & succincta Somni, Vigiliarumque Theoria, qua præmissa, facilius nunc spero intelligi præsens, quod sine mora nunc aggredior, de vitiis circa somnum vigiliisque theorema inaugurale practicum. Quæcunque autem promiscue vitia notare in præsentī mens non est; mei adeoque laboris jam non sunt morbi, qui dum de die molestant, sive chronici, sive acuti sint, nocte deinceps & somni tempore, quoad symptomata exacerbati, exquisitius & adhuc dum molestius affligunt; neque me attinent fabulosi passim recensere soliti morbi, ubi somni tempore dæmoniacis illusionibus variis varie divexari perhibentur homines, horum enim recensio plerumque anili superstitione & imaginatione erronea, suspectaque fide nititur, quamvis non penitus negem, posse dæmonem illudere hominibus, a posse tamen ad esse consequentiam valere nullam, vulgata Logicorum est regula; eos tantum tractare morbos animum induxi; qui solum somni tempore affligunt, aut tamen proprie loquendo, vitia circa somnum & vigiliis nominari possunt; de die autem si affligunt, tamen non, nisi somno p. n. excedente ingruunt. Positis sic rerum tractandarum cancellis, propius ut nunc ad præfixam prope-rem metam omnia ordinis gratia angustis definitionibus, succincta

cinctâ

cineta Pathologia, brevi Semiotica & sufficienti Therapia, proponam. D. D. F!

§. XIX.

Initio igitur quæ juxta positos limites definienda sunt vitia, hoc singula atque omnia continentur catalogo: alia enim somnum saltem reddunt turbulentum, interruptum, inquietum minusque commodum; huc refero: *Insomnia turbulenta, Pavores nocturnos, Jectationes & inquietudines, Incubum s. Ephialtem, Somnambulationem, Pollutionem nocturnam, involuntariam mictionem inter dormiendum in lectum & sudores nocturnos*, deinde alia vitia somnum prorsus tollunt auferuntq; penitus, huc spectant: *Vigilia involuntaria s. pervigilium s. Agrypnia*; denique alia affligunt somno plus justo, nimis profundo & præter voluntatem obrepente, suntque hæc: *Coma somnolentum s. Cataphora, Lethargus s. Veternus, Carus, Catalepsis s. Catoche*, de quibus nunc singulatim & seorsim. Id saltem præmonendum, Somnolentiam a Cataphora non nisi leviori gradu diversam, studio a me hic omitti; Coma autem vigil ad Agrypniam jure referri; denique Catalepsin propter aliquam convenientiam & affinitatem raritatemque coronidis loco adjici; reliquos consimiles affectus e, g. apoplexiam brevitatis ergo prætermisi.

§. XX.

Insomnia turbulenta sunt phantasiæ ægrotantis imagines ex causis præternaturalibus ortæ somnum inquietantes vitiantesque ac plerumque morborum prodromi aut etiam comites & pedissequæ.

§. XXI.

Pavores nocturni, *das Auffahren oder das Erschrecken im Schlaf*, nihil aliud sunt quam spirituum terrificæ perturbaciones horroresque quietem interrumpentes & nunc totum corpus, nunc saltem quasdam partes subito concutientes ac præternaturaliter agitantes, sæpe cum, sæpe sine insomniis, a motibus convulsivis internis, ex nervosi generis irritatione concitatis provenientes.

§. XXII.

Jectationes & inquietudines sunt affectiones spirituum,
C
quie.

quietem nocturnam p. n. impediētes, situm dormientis varie mox in hoc mox in oppositum latus, mox in supinum, mox in torvum & quemcunque alium, cum molestia, mutantes, a variis causis & idealibus ac realibus exortæ.

§. XXIII.

Incubus s. Ephialtes, *der Alp*, est species insomnii, in quo ægrotans phantasia corpus somniat invadi ac comprimi a superincumbente pondere, extrinsecus adveniente, cum respirationis, loquelæ & motus notabili imminutione præcordiorumque anxietate a causa idealis æque ac reali intrinseca, quod Virgilius bene sic depingit. XII. *Æneid.*

*nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus, nec lingua valet, nec corpore nota
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur.*

§. XXIV.

Somnambulatio; *das Umgehen in Schlaf*, vulgo, *die Monden-Sucht*, est affectus somnum interrumpens, ubi eodem laborantes intempesta nocte, vel antelucano, exiliunt e lecto, varia stupenda inoffense peragunt, sensimque se deinceps in lectum referunt, fortissima imaginatione commoti, oculis modo clausis modo non; imperfecte dormientes & semi-vigilantes fere.

§. XXV.

Pollutio nocturna est affectus virili magis, at tamen sequiori etiam sexui familiaris, ubi circa mediam plerumque noctem sub specie somni libidinosi cum vel sine titillatione & tentigine liquor feminalis excernitur præter voluntatem & intentionem dormientis subsequente interdum emacescencia & tabe membrorumque flacciditate.

§. XXVI.

Mictio inter dormiendum in lectum involuntaria est p. n. urinæ profluvium, quo nescienti ac nolenti ea per consveta loca perpetim exstillat, nunc sine, nunc cum insomnio, dependens, vel a vitio morali vel physico, plerumque nimirum a spincteris tono quacunque de causa debilitato & destructo.

§. XXVII.

§. XXVII.

Sudor nocturnus est p. n. feri per glandulas & poros pa-
tulos sub forma guttularum aquosarum nimis larga ac molesta
somnia tempore excretio ac fusio, cum somno inquieto & tan-
dem insequente virium prostratione, aliisque symptomatibus.

§. XXVIII.

Agrypnia, alias pervigilium, vigiliæ involuntariæ, so-
mnicarentia, modo etiam somnus vigilans & coma vigil per
Synonymiam, & Germanis *der wachende Schlaf* vocari solita,
est quædam veluti lucta dormiendum inter & vigilandum &
aliquali respectu ad somnum inquietantem, potiori tamen ad
somnum deficientem referenda, adeoque propensio & incli-
natio ad somnum, cum dormiendi impotentia.

§. XXIX.

Coma somnolentum s. Cataphora, *die Schlaf-Sucht* s. *ein
unvermeidlicher und ungewöhnlicher harter Schlaf*, est inevita-
bilis & inexplebilis somni cupido, quæ nullo modo fatiari
potest, utut æger de die æque ac nocte ita altum capiat so-
mnum, ut excitatus vix oculos aperiat, interrogatusque vix
respondeat, cum febre, delirio, stupore & actorum oblivione.

§. XXX.

Lethargus s. Veternus est auctior adhuc & intensior so-
mni cupido, cum rerum fere omnium oblivione, læsæque ima-
ginatione & ratiocinatione cum delirio & febre acuta.

§. XXXI.

Carus, tertius gradus soporis adhuc dum gravioris, est
continua in somnum longiorem delatio, ita, ut etiam vellicati
& dolorose compuncti ægri vix expergiscantur, veluti mor-
tui, supini & extensi decumbunt vixque palpebras aperiunt,
libera tamen hic permanente respiratione, estque hæc pro-
funda soporis species, nil aliud nisi gelidæ mortis imago, ger-
mano idiomate ideo non male dicimus: *Er hat einen todten
Schlaf*.

§. XXXII.

Catalepsis s. Catoche est stupor vigilans rigidus, ubi to-
tum corpus instar statuæ rigidum & immobile redditur inque
ea figura, statu & situ, quo corripitur, immotis membris aper-
tisque

tisque oculis, cum gravissima sensus & motus oppressione, obrigescens permanet.

§. XXXIII.

Pathologica defnitorum somnum circa vigilasque vitiorum consideratio, ordine me nunc ducit ad omnis generis causas, quibus remotis cessat affectus, internas æque ac externas, proximas æque ac remotas, latentes, evidentes, procatarticas, positivas, privativas, per se æque ac per accidens prout occasionem tulerit materia, seorsim ac singulatim examinandas; non autem meam solum apponam ingenue sententiam; verum & aliorum opiniones tum veterum tum recentiorum recensebo, ac utilia ex inutilibus cum ratione seligam. DEUS avertat, ut in hoc arduo atque incertitudinis plenissimo negotio error committatur, inertique aleæ fortuna de ægri corio, litigiis de lana caprina, ludatur! His igitur præmonitis explorato ante, L. B. favore, nunc absque omni ambage ad ipsum causarum examen me convertito.

§. XXXIV.

Insomniorum causæ primum sibi vindicant locum; nolo autem hoc loco disquirere, an & quatenus dæmones insomniis illudant hominibus, nolo recensere somnia divina passim in sacris literis notata, ubi DEUS nunc ænigmatice, nunc symbolice variis se manifestavit, neque disquiram, quomodo fiant ista, si fiant, hæc enim omnia ad præsentem scopum non pertinent; solum sollicitus de Insomniorum naturalium & medico sensu, præternaturalium, i. e. a morbosa dispositione provenientium, causis. Interim non possum non antea Curioso Lectori somniorum lectu non injucundorum magnam farraginem passim apud autores collectam nominare, quare videri poterunt: *Tertullian. de An. C. 46. Aurel. Vict. de Viris illustr. C. 26. Aël. Spartian. in Hadrian. C. 25. Plutarch. in vitis passim. Plin. L. 1. epist. 18. Dionys. Halicarnass. L. 7. C. 43. Tacit. An. C. 4. Flor. L. 4. C. 7. Synes. de insomn. p. 136. Niceph. in scholiis ad Synes. Aristid. Orat. Sermon. Sacr. Tom. I. Barlet. L. 1. de gestis Scanderbeg. C. 82. de quibus omnibus quid credere, & quid censere voluerit B. L. mea jam parum refert.*

§. XXXV.

§. XXXV.

Infomniorum autem ad præsentem tractationem spectantium causæ, sunt vel internæ vel externæ, eademque vel ideales vel reales. Causa realis efficiens, sunt spiritus animales in cerebro habitantes, inquieti & turbati circa ideas varias componendas, dividendasque. Hi commoventur, nunc a causa idealis, quando nimirum ideæ per diem conceptæ redeunt, unde objecta visa, audita, gesta frequentius infomniorum materiam præbent; redeunt vero ideæ propter perturbationem spirituum, qui phantasiæ erroneæ & ægrotanti committunt totum negotium, hacque mediante fingunt pinguntque varias rerum imagines. Valde autem probabile est, cujusvis rei ideam sub eadem motus specie redire, qua pridem aliquando per sensus fuit repræsentata & impressa, hinc infomnia actuum diurnorum vera sunt simulacra, quod egregie asserit *Claudianus L. III. de rapt. Proserpin.*

*Omnia quæ sensuvolvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies;
Venator defessa toro cum membra reponit,
Mens tamen ad sylvas & sua lustra redit:
Judicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cavetur equis:
Furto gaudet amans, permutat navita merces,
Et vigil elapsas querit avarus opes:
Blandaque largitur frustra sitientibus ægris
Irriguus gelido pocula fonte sopor.*

In turbulentis quidem mœstisque infomniis construit Phantasia imaginem Objecti nobis infensi & terrifici & quo magis spiritus sunt perturbati eo Phantasia agit confusius, miscet præsentia futuris, præterita præsentibus & nil adeo ineptum excogitari potest, quod non facile horrenda præsentatione componat phantasia. Commoventur nunc etiam spiritus a causa reali intrinseca morali æque ac physica ad infomniorum turbas. Exempli loco sint morbi imminentes aut nondum perfecte curati. Sic Cephalalgia occasionem præbere potest, quando spiritus propter dolorem turbati, phantasia mediante, dolorificas meditantur sensationes. Hypochondriacis & spleneticis

commune est insomnium, quo sese multis periculis expositos esse inquiete somniant. Pariter huc spectant aliae praeternaturales causae intrinsecae, Plethora, sanguinis visciditas, acrimonia &c. Concurrunt causae internae naturales, insomnia multum variantes, quorsum e. g. spectant Temperamenta. Sic sanguineorum somnia libidinosa & voluptuosa; Cholericorum, litigiosa; Melancholicorum, funesta & periculosa; & Phlegmaticorum, laboriosa & onerosa esse solent. In morborum decursu non raro affligunt somnia; sic instante crisi per haemorrhagiam, observatum fuit, obversari aegrotis objecta rubra, aut flammam dormiendum inter, ante oculos. Alia ut taceam. Commoventur denique spiritus ad insomnia ab externis causis, tum remotis, tum proximis. Ad externas & quidem ideales remotas refero omnia sensualia, quae ideales eo sunt, quatenus ideam illorum retinet phantasia, somnique tempore deinceps repraesentat. Ad externas reales occasionales & antecedentes pertinent varia. e. g. Edulia crassa & flatulenta, sanguinem incrassantia & ad circulandum minus aptum reddentia, eaque eo magis, quo sunt glutinosiora & viscidiora, a quibus vasa plus justo dilatantur, implentur, distenduntur, quam molestam contentorum turbam sentientes spiritus, aegre ferunt, sicque inquieti ad insomnia turbulenta facile disponuntur. Sic porro decubitus supra dorsum, imprimis ventriculo nimis repleto, & capite declivi, ad insomnia disponere extrinsecus potest; dum enim a superincumbente ventriculi mole premitur diaphragma, respiratio aegre succedit, dumque ad declive positum caput vehitur impetuosius sanguis, quam revehitur, molesta oritur tensio & pressio, quibus commoti spiritus varia sibi imminere pericula somniant. De femine papaveris nonnulli afferunt, quod ad turbulenta & rixosa, & de nasturtio *Hellmont.* refert, quod ad venerea disponat insomnia, plura de potu, ac cibo nec non aere externo ad externas causas pertinentibus, lubens praetereo.

§. XXXVI.

Pavores nocturni causarum nunc examen urgent. Sciendum vero est ante omnia; fieri pavores per speciem vibrationis nervoso generi impressam, cujus efficacia postmodum musculis & membranis, utpote motuum organis

com-

communicatur. Itaque patet exinde, causam mediatam proximam internam esse irritationes spirituum, nervorumque, & verbo, omne illud, quod spirituum organa premendo, tendendo, pungendo, rodendoque stimulat, spiritibusque horro-
 ris ideam suppeditat. Contingit autem hoc ut plurimum, vel a causa ideali, ubi, sub specie infomnii, horrenda concipitur idea, quam dum imbecillis animalis spiritus abhorret, pavore plerumque concutitur dormiens, *daß er vor Erschrecken recht ineinander fahret*; vel a causa reali intrinsecus latente spiritusque terrente. Tale quid præstare possunt morbi imminentes, vel actu jam præsentis. Quis enim nescit, ordinario in principio malignarum febrium e.g. morbillorum, variolarum &c. adultos non minus quam imprimis pueros in ipso somno plurimum terreri; *so daß sie auch wohl bald Anfangs, wenn sie kaum die Augen zugethan haben, im Schlaffe auf-fahren und erschrecken.* Spiritus enim ideam peregrinam febrilem, vel in genere, quamcunque morbificam conceptam abhorrent, quod molestum noxiumque imminere sentiunt malum admittere nolentes horripilatione ac terrificâ concussione procul abigere volunt, exprimit vulgus proverbiali dictorio: *Die Haut schauert mir, der Tod leufft mir übers Grab.* Peregrinæ tales morborum ideæ eo magis somni terrent tempore, quo imbecilliores hoc tempore sunt spiritus, qui si vires colligant roburque obtineant, superant sæpe peregrinam imminentis morbi ideam, ita ut non præcise semper morbus aliquis debeat subsequi: spectat huc sanguinis acrimonia suis spiculis salinis fibras, per intervalla, vellicans, adeoque & scorbutus, & malum hypochondriacum in censum hic veniunt. Scirrhi, vermes, calculi, ulcera, & in genere cacochymia, vulnera, fracturæ, dentitio difficilis, & ubi partes solidæ molles, a spasmò, flatu, pure &c. tenduntur, ad hanc causarum classem pertinent, quatenus fibræ lancinantur & spiritus animales turbantur, a quibus causis adeo nonnullis familiares sunt pavores nocturni, ut quam primum corpus stragulis adaptarunt, eosdem vel in brachiis, vel in pedibus vel in corpore ipso experiantur. Imprimis autem pavoribus inter dormiendum divexari constat infantes tenellos, quod & ipse innuit

nuit

nuit *Hippocrates aph.* 24. pavores ætati resentissimæ & nondum dentitionis terminum attingenti adscribens, quod existimo imprimis ob debile genus nervosum & tenere spirituum robur familiare esse.

§. XXXVII.

Jectationum & inquietudinum sequuntur causæ. Quarum interna proxima & immediata est spirituum inquietudo. Dependet hæc a causis æque externis ac internis antecedentibus. Huc referenda omnia, quæ spiritus & humores plus justo commovent, turbant atque angunt, sive id fiat vitio morali sive physico. Sic sanguis & nimia mole & qualitate morbosa peccans, dispositio ad morbos imminentes, morbi actu præsentis, horum varia symptomata somnum sæpe inquietum & anxium causantur, imo eousque inquietant, ut clausis modo oculis, rursus statim mox in hoc mox aliud in latus sese hinc & inde jectantes somno quietem non inveniant. In subjectis hæctenus sanis inter causas occasionales referri merentur cœna largior, nimia mole ventriculum gravans; assumptio potulentorum volatilium & exæstuantium e.g. infusum *Coffee* fervide ingurgitatum; atmosphæra nimis calida, stragula insolite densa, gravia, & complura hujus generis alia, humores ad æstum & turgescentiam, sicque spiritus ad motus nimios disponentia inquietudinibus ansam præbere possunt. Idem judicium esto de animi commotionibus tranquillum somnum non concedentibus; certe enim graves curæ & sollicitudines, metus imminentium malorum, mens exacerbata & male sibi conscia, inquietas producunt noctes, nihilque magis efficax est ad inquietudines quam fortis animi commotio.

§. XXXVIII.

Incubus s. Ephialtes inquietudinibus valde affinis causarum nunc postulat examen. Nolo jam morari plebejorum opiniones, siquidem in eorum cerebris adeo monstrosi aluntur conceptus de præsentis malo, ut vix brevi huic chartæ inferere queam. Firmiter persuasum enim sibi habet vulgus, incubos esse lamias sub forma nunc humana, nunc animali terrificæ irruentes; verum, quia jam dudum tales superstitiosæ & risu dignæ opiniones e foro medico eliminatæ sunt, refutatione non

ne non

ne non indigent, causas autem physicas brevi notabo calamo. Et cum e definitione jam constet, incubum esse quandam infomniorum speciem, cum diaphragmatis compressione; apparet, ni fallor, facile, causam ejus esse & Phantasiæ errorem & molestam Diaphragmatis pressuram. Antecedunt tamen variæ occasionales causæ. Communissime tale quid contingit ex vitio abdominis, quatenus viscera eo inclusa Diaphragma premunt atque spiritus inquietant, qui deinceps phantasiæ beneficio infomnium prementis spectri formant. Sic constat, Lienosos infomniis adeo atrocibus divexari, ut non nisi dæmones & spectra in somno obversantia videant, ane ergo mirum, si a liene v. g. scirrhuso Diaphragma, decubiti tempore, premitur? accedentibus circumstantiis adhuc aliis imaginaria hæc a superincumbente spectro compressio abdominis producitur? Ipse hic ventriculus merito accusandus venit, hic enim repletus immodice præ cæteris diaphragma gravare ac comprimere potest, mole etenim sua atque pondere in expiratione diaphragmatis adscensum, descensum vero in inspiratione impedit, accedentibus imprimis intestinorum flatibus. Hoc nomine concurrere suo modo possunt incongrua esculenta & potulenta, ut sunt leguminosa, flatulenta, potus non fermentatus, e. g. mustum & cerevisia recens. Decubitus supinus quantum ad hæc omnia valeat, facile intelligitur. Nam inflata abdominis viscera, hoc dormientis situ, suo pondere versus diaphragma cadendo non possunt non comprimere & respirationis æque ac loquendi difficultatem inducere. Sic *Bonettus L. I. anat. practic. Sect. 5. Observ. 1. p. 151.* se nosse quendam, refert, incubo olim maxime obnoxium, virum alias robustum & satis validum, qui per duos annos, nunquam in dorsum conversus dormivit, quin simul affectu isto corripere, adeo ut necessum haberet fervum contubernalem in eodem lecto decumbentem admittere, qui, statim ac gemitus & suspiria, quibus affectus incipere solebat, exaudiret, ipsum in latus alterutrum converteret, quo insultus illi præcaverentur; unde colligere nunc licet, solum sæpe supinum decubitum accusandum esse. Hepatis aliorumque abdominis viscerum tumores & scirri, quatenus suam con-

D

ferant

ferant symbolam, determinare vix audeo, dum enim experientia nondum sum informatus, nolo temere universaliter quicquam hallucinari. Id tamen adhuc dum recensitis rari hujus affectus superaddo causas; præ reliquis abdominis musculos spasmò laborare & quidem rectos, quibus supino situ elongatis viscera abdominis deprimuntur ac sursum compelluntur, unde diaphragmati descensus denegatus respirationi & loquelæ injuriam infert; si vero in dorso jacentes in sinistrum aut dextrum latus sese convertant & parumper sese incurvent, relaxatis musculis, & ventriculo a diaphragmate in latus remoto, statim remittit spasmus, qui si rursus supinat dormiens, reddit facile, hominemque incubo rursus opprimit. *Viele meinen, der Alp drücke sie, wenn sie gleich nicht schliefen; error certe phantasiæ est, revera enim dormiunt, quamvis cum inquietudine & insomnio turbulento, daher können sie sich nicht recht besinnen, ob sie geschlafen, oder gewachet haben; unde porro phantasiæ error sequitur, quando spiritus inquieti & anxii circumstantias circa hanc, dormiendum inter, compressionem ponderare jam non valent, inque causam non inquirunt, sed ex obviis datis confuse somniando judicant, finguntque horrendam monstri opprimentis ideam, qua firmiter impressa expergefactus deinde jurat se fuisse a spectro compressum, & id eo magis procedit, quo fortior est hominis imaginatio, quæ uti plurimum valet in vigilantibus; sic multo magis in dormientibus, ut aliam non possint sibi fingere ideam, quam monstri moleste opprimentis.*

§. XXXIX.

Somnambulationis causæ, ut nunc exponantur, ordinis jubet ratio. Non defunt, qui somnambulationem a luna derivare, tanquam a causa, fatagunt; enimvero quia influxus lunæ in hominem nondum est probatus, præterea hic affectus contra experientiam asseritur, plenilunio infestare, dum experientia docente somnambuli & luna decrescente sunt observati, lunam, ut causam morbi, in censum venire non posse censeo. Potius hoc malum a depravata Phantasia & spirituum inepta idea, non raro etiam a nequitia pessimorum nebulonum simulatum malum esse, crediderim ego. Et quidem
si ve-

si verum est malum, phantasia & imaginatio fortis impellit spiritus determinatque ad suscipiendos vigilantibus solitos actus, locaque sæpe periculosissima petenda. Quod autem somnambuli absque periculi metu tentent periculo plenissima, id debetur phantasiæ intellectus frena excutienti metuque inde solutæ ac cæco impetu pericula non ponderanti, ubi vere interdum audaces fortuna juvat, timidosque repellit; non absimili modo ac interdum videmus ebrios & mentis impotes, pari temeritate, cum successu tamen, peragere, quæ sobrii ac sani facere non auderent. Et quia semper vis unita esse solet fortior, pariter & in præsentis spiritus a phantasia ad unicum somnambulationis negotium excitati, nec ad plura, uti tempore vigiliarum, intenti, sed solum in deambulationis idea defixi, vires hic colligunt, figuntur in unum & validiores fiunt, ita ut sæpe sublimia petant loca, nihil quicquam timentes, nec damnum ullum experientes, quod iis succedit eo facilius, qui & diurno vigiliarum tempore in alto versari consueverunt absque vertigine & lapsu. Non permittit angusta charta historias & exempla hic consignare, poterit autem curiosus Lector hanc in rem adire *J. Horst. Schenck. Hellmont. Keckerman. Schott. Willis.* & alios complures. Mirum est, quod ajunt, somnambulos exclamatione nominis proprii, revocari ab infelici itinere nocturno, quod si verum est, credo ideo evenire, quia spiritus erronei ad minus nota jam intenti, per ideam nominis notissimam, facile abripiuntur a minus notis, unde ad nominis proprii exclamationem attenti a pristina idea remittunt ac revocantur errorisque fiunt conscii & ad lectum redeunt. Patet ex omnibus, nocturnum hunc errorem imaginationis vi produci, cui tamen occasionem præbent varia, imprimis actiones diurnæ, quas somni tempore, per insomnia a phantasia, confuse & erronee in actum deducere conantur, somnambuli, qui tamen hoc tempore neque pro perfecte vigilantibus neque pro dormientibus haberi possunt. Effet quidem commodus hic agendi locus de efficacia phantasiæ ac Imaginationis, possemque uberius demonstrare, somnambulationem vi sola imaginationis causari; at enim vero plura addere & jam non vacat & opus non est; qui verò plura

de imaginationis & phantasiæ in corpus nostrum vi postulat, evolvat *Fierium de viribus imaginat. conclus. 23. Del-Rionem. L. 1. Disquisit. Mag. C. 3. qu. 3. p. 21. Agrippam, in Op. Tom. 1. de occulta Philosoph. L. 1. Cap. 64. p. 31. edit. Lugdun. instar omnium vero solidissime hoc argumentum exposuit, non sine honoris præfatione prætermittendus mihi & Patronus & Præceptor ætatem venerandus, Celeberrimus per totum eruditum orbem RIVINUS, Facultat. nostræ Decanus perpetuus, eruditissima in peculiari Dissertat. de imaginationis viribus medicis, hic Lipsiæ typis expressa publiceque ventilata.*

§. XL.

Pollutionum nocturnarum causas dum recensere animus fert, ante omnia movendum erit, non tantum eas pati sexum potio-rem, verum ipsas quoque mulieres. Confirmat hoc non solum autoritas *Galenii L. 2. de semine C. 1. sed & asserit philosophus. H. A. L. 10. C. 6. & 7. item de generat. animal. L. 2. C. 4. ipseque divinus senex L. 2. de morb. mul. C. 59. C. 10. & Fernelius L. 6. C. 14. pathol. verum & insuper ratione constat, quippe femine utique donantur, & certum denique est, mulieres pati somnia venerea, atque hoc tempore effusionem humidi e genitalibus liquoris feminalis, quod s. semen muliebri, s. liquorem feminalem appelles, perinde erit. Cuicumque vero sexui contingat hæc nocturna maculatio; causa tamen una eademque fere erit. Inter quas primo meretur nominari loco idea libidinosa atque venerea interdum concepta, quam, dum petens stragula profundius altiusque rimando, tam firmiter sibi imprimat, ut somni deinceps tempore quiescentibus reliquis sensibus impressam veneris ideam commode repetant spiritus, iterumque sub insomnio venereo evolvant & sic eo usque evahant, ut non possit non oriri seminis spumescencia atque orgasmus, quo facta denique & ipsum semen spumescens & insomnium concomitans vel etiam immediate antecedens urgent nocturnam hanc ejaculationem, profilitque mox in stragula dormiendum inter genitalis liquor. Multum vero ad hanc involuntariam excretionem faciunt aliæ insuper causæ, etenim vesicularum feminalium irritatio a nimia contenti liquoris copia accedit interdum, qua nominatæ capsulæ simul tensæ atque plus*

plus

plus justo turgidæ ad ejectionem ejus, quod molestum erat, invitantur; & pertinet huc acrimonia vellicans & stimulans genitales cistas, & nimia aquositas, & canalium s. pororum, per quos excretio contingit, nimia laxitas, & denique ipsarum vesicularum seminalium flacciditas & impotentia, quæ tanquam causæ concurrentes attendendæ utique veniunt. Tandem & occasionem præbet aliquam decubitus supinus, extensis musculis abdominis, vesica præsertim plena, lumbisque calefactis. Imo multum promovet pollutionem nocturnam calor lectorum, stragulorumque lenocinia, error antecedens in diæta, venus intermissa, quæ ante culta fuit sedulo, & quod non prorsus tacendum erat, sæpe p.n. concurrunt causæ, quibus sæpe quasi per euphoriam evacuatur vitiosa seminalis materia, uti interdum contingere tale quid solet in febribus, calculo, podagra, malo hypochondriaco, scorbuto & sic porro, quod sedulo hinc inde observarunt practici, literisq; consignarunt, merentur hanc in rem evolvi *J. B. Sinibald. L. 5. tr. 2. C. 9. p. 698. Schenck. schol. part. p. 105. & exercitat. anatom. 8. L. 1. S. 2. C. 35. &c.*

§. XLI.

Non multum abludunt mictionis in lectum dormiendum inter causæ, dum enim pariter involuntaria hæc in somno obscœni liquoris excretio, plerumque sub quadam insomnii specie contingit, primum inter causas jure locum obtinet illusio phantasiæ, quæ utpote fœcunda insomniorum genetrix, ita ideam facile suppeditat, ac si lecto somnoque sepultus ad angulum aliquod aut ipsam staret matulam, quo insomnio deceptus, urinam, accedentibus mox recensendis causis aliis, facile in stragula emingit. Igitur sciendum est, ut plurimum & ipsam vesicam urinariam & ejus contentum & quantitate & qualitate peccans sua non vacare culpa. Etenim Vesica & sphincteris ejus debilitas atque læsio imbecillitasque fibrarum muscularium, vulnera vesicæ aut calculi cervici vesicæ impacti, quandoque spinæ lumborum ossisque sacri distorsio, uteri in sexu sequiori versus vesicam pressio, atque in obesis subjectis omentum pinguedine sua premens vesicam & quæ sunt hujus generis alia, suam energiam somni eo magis exercent tempore,

quo magis dormituriens super dorsum dormire supinus con-
suevit. Ipsum vero vesicæ urinariæ contentum liquidum ob-
scœnum hunc producere affectum valet, si vel nimia copia &
mole vesicam plus justo tendat, somnoque alto sepultum de
lecto surgere non valentem ad excretionem in lectum invitet;
vel etiam si qualitate & imprimis acrimonia quacunq; vesicam
ad excretionem stimulante peccet. Qualis autem præcise sit
acrimonia, determinare in genere nolo, nunc enim acida e. g.
esse potest ex abusu spiritus Vitrioli, Nitri &c. vel potu cerevi-
siæ recentis & acidiusculæ; in aliis forte accusari poterit alcali
acre, rursus in aliis nimia faldedo, prout id scorbuticis non
infrequens est, in quorum urina salis abundantiam satis de-
monstrat cuticula salina. Inter occasionales causas nominari
imprimis debent potus nimis frigidus, nimis tenuis & aquo-
sus nimisque etiam fervidus & spirituosus fructuum intempe-
stivus & immoderatus usus & esculenta acria, præcipue vero
medicamenta diuretica ex nimio usu e. g. granorum juniperi,
spiritus Thereb. Denique binis adhuc verbis nominanda est
moralis causa nempe negligentia & petulantia, præcipue in e-
briis & infantibus, quæ deinceps in pessimam abit consuetudi-
nem, ita ut, si aliquoties iterumque somni tempore in lectum
indecenter urina fuerit emissa; simili occasione cohiberi ne-
queat, quin potius eadem sæpe hora modo cum infomniis mo-
do absque iisdem in lectum mingitur.

§. XLII.

Sudoris nocturni causas dum mecum perpendo, præsup-
pono, sudorem nihil esse aliud, quam auctam insensibilem trans-
pirationem. Augetur vero eadem a causis & occasionalibus &
constituentibus internis. Et quidem nocturno somni tempo-
re stragulorum fatus & densitas facile ad hunc affectum dispo-
nit, si fomes mali hæreat in corpore. Est autem & sanguis & im-
primis serum, aquositate nimia, vel etiam acrimonia varia &
orgasino, peccans, quam facile mobile ad auctam transpiratio-
nem, si modo corpus sub stragulis incalescat, pori ampli-
entur & particule sulphureo salinæ volatiles in motum abripiantur,
ita quidem, ut particule serosæ promptius secedant, atq;
ad sudorem in lecto dormientes eo magis disponant, quo ma-
jor

ior est somni tempore calor, qui sensim sensimque serum per glandulas subcutaneas harumque tubulos & meatus ac poros seoretorios & excretorios uberius ejicit excernitque sub sudoris specie, non secus ac videmus res balneo roris aut mariæ concreditas plus humefieri, quam si igni arenæ fuerint commissæ. Quæcunque igitur texturam sanguinis serique resolvunt & attenuant p. n. illamque resolutionem quocunque modo promovent, ea omnia ad causarum classem pertinent. Sic ubi particulæ sulphurææ s. oleosæ cum salinis acris exsuperant, ut in Scorbuticis, sudores necessario affligunt, nempe sanguine seroque nimis attenuato & resoluta vasculis excretoriis hiantibus & viis sub stragulorum tegmine liberius patentibus. Eam propter causam familiare esse hoc solet malum cachecticis omnibusque, quibus nimis existunt humores mobiles, tenues, aquosi, acres & p. n. soluti. Non autem erat silentio prætermittenda specialis sæpe in quibusdam subjectis glandularum subcutanearum p. n. textura & dispositio plus justo amplior laxiorque, eæ siquidem accedentibus causis supra positis serum copiosius faciliusve admittunt & emittunt. Ipsum tamen serum patulam hanc glandularum constitutionem multum juvat, quatenus serositate easdem laxat, sicque eas disponit, ut, levi accedente irritatione, facilem largumque sero elapsum per orificia concedant.

§. XLIII.

Somni penitus fere deficientis, cum summa tamen ad somnum propensione, Agrypnia & Comatis Vigilis nomine insigniti affectus, causæ, vel sunt procatarticae s. antecedentes, vel præsentis & proximiores, eademque vel manifestæ, vel adhuc dum latentes. Causam proximam existimo, sine dubio, esse continuum & depravatum spirituum motum; quod manifestum esse potest ex suppeditata somni idea; utpote somnum naturalem consistere asserui supra in quiete spirituum; oppositum igitur somni, quod est pervigilium, necessario consistet in spirituum inquietudine & nimia agilitate. Atque adeo in febribus, quamdiu spiritus æstuant, nullus somnus locum habet, sed potius deliria post aliquot dierum noctuumque vigiliis sequuntur. Eandem ob causam curæ, mœror, excandescientia

fcentia & vindictæ cupido, & quæcunque objecta dolorifica
 tristisque male succedentis fortunæ idea, immo varii morbi,
 cardialgia, spasmus, phlegmone, phrenitis, pleuritis, cephalal-
 gia, abscessus, vermes & quicunque alii affectus tristem indu-
 centes sensum, ad somni impotentiam solent mirum quan-
 tum disponere, quatenus videlicet spiritus inquietant, com-
 movent atque exæstuant. Nihilominus tamen spiritus, quam-
 vis hac ratione imbecilles fiant, vires colligere laborant, unde
 propensio ad somnum; dum autem nimis jam facti sunt impo-
 tentes, confusique nimis, somni non potest non enasci impo-
 tentia; sunt enim semel turbati in quiete naturali spiritus, qui
 tamen, cum in cerebro varias recolligant revolvantque ideas
 confusas, deliria huic affectui familiaria producant. Quam-
 vis vero proxima atque immediata hujus affectus causa, sit
 vere continuus spirituum motus, qui, impetu rapidiori plus
 justo, agiles oberrant per ipsa sensoria, non tamen a causarum
 catalogo exclusos esse volo humores, utpote qui plerumque
 semper remotas antecedentes constituunt causas, a quibus
 spiritus deinde afficiuntur, atque ad funestam hanc tragædi-
 am commoventur. Sic sanguis vel copia & quantitate ni-
 mia, vel qualitate, orgasmo & ebullitione peccans e. g. ple-
 thora cerebrum æque ac totum nervorum genus incolasque
 horum nempe spiritus moleste premit ingræteque afficit; por-
 ro sanguinis humorumque acrimonia nervos pungit & velli-
 eat, rursusque hoc modo spirituum quietem non parumper
 turbat, vigiliasque involuntarias producit. Quare vix miran-
 dum, cur in febribus continuis, tam malignis quam benignis,
 e. g. variolis, morbillis, purpura, petechiis & sic porro tantum
 non semper urgeant vigilie; neque obscurum nunc erit, cur
 in mania, melancholia, malo hypochondriaco aliisque affe-
 ctibus affligant vigilie, ut hinc *Sennertus L. 3. prax. p. 518.* in-
 ter melancholice hypochondriacæ symptomata retulerit vigi-
 lias; & maniacarum vigiliarum exempla consignaverit multa
Mart. Ruland. Curat. Empir. 17. 22. 27. C. I. idemque melan-
 cholicarum vigiliarum compilaverit historias *l. c. Empir. 65.*
 Nominatis hætenus causis, denique nunc addo varias adhuc
 occasionales. Etenim excellentia sensuum externorum ob-
 jecta,

jecta,

jecta, a quibus spiritus agitantur, sive sint tangibilia, sive visibilia
 f. alia; deinde animi pathemata, a quibus semper in quiete tur-
 bantur spiritus, nisi forte causæ somnum inducere valentes præ-
 valeant; porro Excreta & Retenta e. g. veneris adsvetæ inter-
 missio, nimia alvi adstrictio & aliæ evacuationum consveta-
 rum suppressiones; itidem aer ambiens calidior e. g. æstivo
 tempore & cubiculis nimis calefactis, aut etiam aer solito fri-
 gidior, e. g. refrigeratio inter dormiendum artuum; denique
 motus immoderatus & intempestivus, a quo remora spiriti-
 bus non conceditur e. g. nimia deambulatio, nimiaque omnia
 corporis exercitia, unde germanus dicere consuevit, *ich habe*
vor Müdigkeit nicht schlaffen können, utpote sic spiritus nimis
 commoventur; atque tandem assumpta esculenta & potulen-
 ta quantitate & qualitate spirituum requiem impediencia, e. g.
 cœna largior, haustus, ante somni tempus, infusi tabarum Cof-
 fee aut folior: Theæ, aliorumque; omnia ac singula, iusta ta-
 men cum restrictione & limitatione mentali, causas inter de-
 ficientis somni remotas vigiliarumque involuntariarum pro-
 ductrices jure possunt censerì.

§. XLIV.

Somni plus justo excedentis nimisque profundi secun-
 dum potiores species causarum nunc tandem sequitur evolu-
 tio. In genere de soporosis sic dictis monendum est, quod,
 sicuti non differant, nisi gradualiter & vehementiori morbi
 atrocità; ita causarum quoque maxima fere sit convenientia,
 quæ tamen pariter remissiori aut minus a se invicem gradu
 differunt; & quemadmodum oppositi affectus nempe pervi-
 giliæ causam proximam constitui motum agilitatemve spiritu-
 um nimiam; ita horum etiam morborum causa communis &
 generalis alia esse non potest, quam e diametro opposita, vi-
 delicet agilitas spirituum deficiens & desiderata eorum activi-
 tas. Etenim cum omnem somnum naturalem, in præmissa
 Theoria dixerim ex quiete spirituum oriri moderata, & cum
 vigiliis iuste proportionata alternaque; nunc quis non intel-
 ligit, somnum p. n. necessario deberi spiritibus nimis torpidis,
 ignavis & ad subeundos motus multum admodum ineptis.
 Quo magis igitur torpidi erunt spiritus, eo profundior erit

E

inde

inde somnus & vice versa, quo minus erunt segnes inertesque spiritus, eo minor minusque profundus erit somnus; ut adeo pateat, unde ortæ sint sic dictæ soporosorum affectuum, in Medicorum schola, species, quas nunc sine mora singulatim atque seorsim secundum causas específicas, ad ductum definitionum supra positarum, paululum examinare licebit.

§. XLV.

Cataphoræ quidem s. Comatis somnolenti, utpote primæ speciei, causas primum etiam aggredior. Proxima atque immediata est spirituum imbecillitas & ad actuanda quævis sensoria insufficientia atque inopia. Proficiscitur autem hæc a causis variis mediatis atque antecedentibus. Quare excusanda hic venit humorum, præcipue sanguinis, tum nimia aquositas serositasque, tum visciditas, pituitosaque ac glutinosa qualitas; utpote quibus accidit, ut poruli tubulique ac fibræ tenuissimæ inundentur nimium & obstruantur, aut potius comprimantur; unde & retardatur spirituum secretio, & influxus eorundem inhibetur, ut sic ad organa sensuum motusque tardus & segnis spirituum producat fluxus. Hinc omnia, quæ humores coagulant, inviscant, fundunt & nimis serosos efficiunt, inter causas remotas & occasionales locum inveniunt. Sic e. g. tales post se relinquunt effectus medicamenta narcotica inepte propinata, opiique imprimis, per se alias saluberrimi, imprudens usus, qualia exempla annotarunt subinde practici, vid. *Bonett. Med. Septentr. P. I. p. 99.* & ipse ego nuper admodum, damno alterius cujusdam Medici alienoque ejus periculo, didici illud ipsum, quippe ex inepta propinata Tinctura opii in nimis profundum per plures dies noctesque somnum incidit non-nemo, qui meo deinceps qualicunque consilio, per divinam gratiam, rursus ad se rediit & adhuc dum melius ex voto vivit. Pertinet ad eandem eodem jure soporosorum medicamentorum classem, croci nimius & intempestivus usus, vel etiam odor tantum, quale exemplum soporis inde enati habet *Borellus C. IV. Obs. XXXV.* alicujus, qui juxta Croci sacculum decumbens, in soporem perniciosum incidit. Potus largior spirituosorum pariter non omnî vacat culpa, itidemque refero huc fumum carbonum, vaporesque

resque hydrargiros, quale exemplum recenset *Palmarius de hydrargyro*. Idem periculum timendum erit, a sanguinis ferique intra cerebrum extravasatione, quare & huc referenda sunt vulnera; concussiones; abscessus; hydrocephalus &c. qualia exempla invenire C. L. poterit in *Willis. Patholog. Cereb. apud Severin. 10. de recondita abscessuum natura, Forest. L. 10. observ. med. c. 7. Horst. T. II. l. 2. observ. 4.* Verbo locum hic inveniunt omnia humores fundentia, incrassantia, viresque prostermentia, unde hunc affectum notare sæpe licet in illis, qui morbos sunt perpeffi cum virium jactura, inque illis, qui humores viresque prava corrumpunt diæta, sese exponendo aeri frigidiori & nimis humido, ingurgitando largius copiosiusve qualitate non minus ac quantitate peccantia, sese enervando immoderato jejunio, motu corporis animique, venere immoderata immodicisque excretionibus & spiritus prostermentibus modis quibuscunque aliis.

§. XLVI.

Lethargi s. Veterni causa, non multum, quantum ego quidem judico, abibit a jam nominatis cataphoræ causis, eatenus tamen differt, quatenus vehementior violentiorque existit in præsentia, unde etiam in veterno somnus adhuc magis, quam in Cataphora profundus est, imo delirium. hic accedit, rerumque fere omnium oblivio & febris lenta continua. Quare utique meretur hic affectus, ut ejus peculiarem seorsim nunc investigemus causam. Et quidem quod ad delirium huic affectui familiare accedens symptoma attinet, id ex variis accidit causis, quarum potior ea est, quod varia phantasmata, variæque ideæ confusæ ac erroneæ spiritus confundant turbentque, quas dum varie varias inter se miscent spiritus, volvunt revolvuntque erronei atque stupidi, neque tamen spiritus erroneous confusisque ideis obstricti se explicare valent, sic non possunt non deliria soporosorum affectuum enasci. De reliquo non est cur multum diuque immorer recensendis hujus affectus causis propriis, dum ex constare jam ex modo dictis possunt. Interim majoris perspicuitatis gratia remotas saltem occasionalesque paululum rimabor. Inter quas plurimi veterum & recentiorum Medicorum nonnulli recensent pitui-

tam. Sic ipse *Galenus* multis in locis e. g. 3. *aphor.* 30. 1. *Prognost. comm.* 1. text. 1. meminit pituitæ simplicis & aliis in locis e. g. 4. *de presag. ex pulsib.* pituitæ putridæ: *Arabes* & horum princeps *Avicenna* fieri lethargum a pituita in tumorem attolente cerebrum tradidit: *Carolus Piso L. de colluvie serosa* pariter oriri asserit Lethargum a pituita vel sanguine pituitoso & a serosa colluvie in capite ebulliente: *Petrus Forestus observ. & curat. Medic. L. X. observ.* 10. memorat exemplum viri ex pituita in lethargum incidentis; & *Willisus* reperit in multis ab hoc morbo defunctis plicarum cerebri interstitia aqua lymphida repleta, quin & extimam ejus substantiam nimio madore mollem & totius cerebri compagem hydrope & diluvio seroso inundatam. Quæ omnia tanquam causas occasionales utique admitto, simul tamen moneo, non solum pituitam, proprie loquendo, esse accusandam, veram in genere humores serosos, aqueos, purulentos, viscosos, narcoticos, biliosos, austeros, acidos quocunque modo p. n. corruptos in corpore fluctuantes stagnantesque, sicque cerebrum & totum genus nervosum prementes. Hoc sensu alias aliorum observationes lubenter non solum admitto, sed & recensione non inutiles judico, modo semper culpa non tam & solitarie quærat in organis, quam potius in horum inquilinis, nempe, spiritibus, vero utpote somni naturalis ac præternaturalis subiecto. Sic abscessum in anteriori cerebri parte repertum fuisse in muliere ex lethargo defuncta perbene notavit *Schenckius observ. Medicin. L. I. observ.* 110. Non absimilem observationem adducit *Forestus Observ. & Curat. Medic. L. X. obs.* 11. ubi propter abscessum pus interiori cranii ossis parti adhærescens repertum fuit. Glandulam magnam supra corpus callosum genitam cum copia humoris causam hujus affectus fuisse deprehensam post obitum lethargici annotavit *Platerus in Praxi L. I.* alias innumeras observationes, sedulo a practicis notatas, ut silentio prætermittam. Pariter vero & huc pertinent Narcotica improvide assumpta & omnia spiritus ligantia ac stupefacientia, de quibus videri meretur *Henric. Petrus in Nosologia Harmonica Dissert.* 5. §. 24. Denique ad causas antecedentes pertinent, quæ spiritus debilitant, ut sunt insvetæ defa-

tigatio-

tigationes, labores viribus graviores, adeoque ex sex rebus non-naturalibus, motus corporis animique nimius, e.g. per saltationes, cursitationesque nimias & immoderata animi pathemata, imprimis terror & tristitia, moeror gravis & diuturnus, utpote quibus confunduntur & prosteruntur spiritus. Excreta justum modum si egrediantur, debilitant quam maxime, quod imprimis edocet dysenteria & diarrhoea, haemorrhagia, vomitus, sudoresque nimii. Non minus venus immoderata ad imbecillitatem spirituum sicque somnum profundum disponit, imo ex his & intelligitur, quomodo hystericae, & partu difficili debilitatae, senes morboque emaciati sopore p. n. ut plurimum supprimantur, nempe ob spirituum defectum & confusionem.

§. XLVII.

Cari, summi fere soporis gradus causa proxima & immediata est, procul dubio, summa spirituum inopia, imbecillitas & obfuscatio, eorundemque in organa sensus motusque voluntarii prohibitus influxus; quare in caro aegri adeo profunde dormiunt, ut vix ac ne vix quidem excitari queant. Non autem solum sopor gravissimus affligit, verum insimul sensus cum interni tum externi & a voluntate pendentes motus cessant, non quidem plenarie, sed respective ad sanitatis statum: neque sensus interni penitus oppressi sunt; sed saltem imperfecti & obscure procedentes. Fit vero singulari naturae beneficio, quod motus vitales, & imprimis respiratio, maneant salvi; ex quibus, respiratione nempe salva & sensu libero, Carus ab Apoplexia dignosci potest; etenim natura hoc in affectu humana de salute maxime sollicita, quicquid potest spirituum ad organa motuum vitalium mittit, sicque, in suam integritatem reducendam, servat vitales functiones, quibus homo carere nequidem ad momenta potest, quamdiu est possibile. Vix autem opus esse crediderim causas occasionales morari longius, utpote erui commode possunt ex antecedentibus modo adductis. Saltem collectas Practicorum observationes tacere nolo, evolvi igitur exempla, si lubet, possunt, apud *Wepfferum in observ. de apoplex.* & *Bernhard. Verzaschum Exerc. de Apoplexia.* Paucis interim momenta causarum pro-

catarcticarum ut suppeditem, nominari hac ex classe possunt humores pituitosi, crassi & serosi, spiritibus animalibus vias præcludentes, premendo non solum nervorum principia & progressus, sed ipsum etiam cerebrum, hujusque ventriculos; pariter humorum in cerebro sanguinis e.g. extravasatio, per ictus, concussiones, vulnera, ulcera &c. Denique turgescencia humorum & orgasmus sanguinis præcipue, nimis distendendo vasa, spirituumque canaliculos premendo, & talia innumera, eodem jure, hoc causarum nomine venientia; ut: ebrietas, ingluvies, vapores immodici nebulosi, crassi narcotici, aër frigidus, humores increassando; humidus, catarrhos excitando; crassus, humores condensando; pluviosus; nebulosus; cibus & potus ac medicamenta, flatulenta, viscida & narcotica; quies nimia spiritus obtundendo, motus nimius spiritus debilitando; retenta excernenda gravando; excreta retinenda vires dilapidando & vehementiora animi pathemata spiritus dejiciendo perturbandoque.

§. XLVIII.

Circa Catalepsios causas, veteres si consulo, in varias itum fuit sententias. *Galenus aph. 3. l. 2. pro causa ponit frigidam & humidam cerebri intemperiem. Aëtius ex atræ bilis humore catochen trahere originem statuit; & quandoque ex sanguinis multitudine confertim caput occupante, vid. ejus sermon. 2. Tetrab. 2. c. 4.* Pariter sanguinis copiam accusat *Rondeletius*, putatque catalepsin non absimili fieri modo ac apoplexiam, ita tamen, ut in apoplexia tota cerebri substantia sit frigido humore irrigata, in catalepsi vero sanguine abundante vid. *c. 20. Method. curand. morb. Arabes* eorumque interpretes non acquiescunt in frigida intemperie & sicca, cum credant, non posse exinde malum tantum, tamque subito excitari, rursusque iterum mox aboleri, quare simul in subsidium vocant humores melancholicos; verum enim vero eadem manet difficultas, quæ ab ipsis in Galeni deprehenditur sententia; cum enim humores melancholici, juxta horum mentem sint frigidi, crassi, sicci & fœculenti, qui possunt illi tam facile & subito moveri, ut tam repente hunc morbum producant, & qui possunt tam subito iterum dissolvi & discuti? paroxysmi siquidem raro sunt longiores,

longiores, sed brevi terminantur; quave ratione possent melancholici, crassi & fœculenti humores tantam rigiditatem in toto excitare corpore, cum omnes omnium partium muscoli, venæ, arteriæ, nervique in hoc affectu distendantur, tensaque membra detineantur? Neque etiam si recentiorum evolvam opiniones, omnia præsentis morbi phænomena ipsorum ex hypothese poterunt intelligi. Quomodo enim v. c. ex sententia *Erasti, part. 4. disputat. adv. Paracels.* vapores in cerebrum irruentes & spiritus immobiles sistentes, asserentis, liquet, quæ fiat, quod oculi aperti, eorumque palpebræ immotæ & rigidæ maneant, imo omnia membra obrigescant? *Hercul. Saxonia L. 1. c. 8.* contra ipsam loquitur veritatem, quando connectit paralyfin cum catalepsi, utpote in catalepsi membra ad sensum sunt manifeste rigida; in paralyfi vero flaccida, maleque asserit, membranas nervorum repleri vaporibus, quales enim illi erunt? *Platerus L. 1. Prax. c. 2.* dicit causam, esse spirituum animalium effusionem ad organa sensuum externorum, sed hoc ubi fieret, certe organorum functiones non tolli, sed egregie potius procedere possent, contrarium vero dum evenit, *Plateri infringitur opinio. Steeghius. L. 8. Medic. Pract. c. 5.* causam deducit a flatu sicciore ex materia melancholica, pituita, & acida vel atra bile, ut excludatur id, quod noxium est, at qualis, quæso, vapor, qualisve materiæ morbificæ contingit exclusio? Denique liceat adhuc *Sennerti* opinionem citare, is quidem *L. 1. Pract. P. 3. C. 30.* spirituum immobilitatem & congelationem citat ut causam, errat tamen pariter in eo, quod spiritus in cerebro & non in organis sensuum & motus figi credat, quodsi enim spiritus non in organis sensuum & motus figuntur, quomodo, quæso, organa rigida & ad subeundas actiones inepta redduntur? imo, spiritus in cerebro non figi, vel inde apparet, quia phantasia interdum suam vim atque energiam retinet, e diametro autem organorum externorum motus tollitur penitus. Aliorum Autorum varias ut nunc taceam sententias. Potius meam qualemcunque ingenue nunc apponam mentem. Et, ut, missa omni ambage, ingenue fatear, firmiter persuasus sum, causam catalepsios immediatam proximam non aliam esse posse, quam spirituum animalium extra se quasi raptorum fixationem.

xatio-

xationem & quidem in musculis motu suo defixis, donec spiritus ad se, mox rursus redeant. Itaque, proprie loquendo, hujus affectus subjectum proximum sunt spiritus; remotum tamen dici possunt spirituum habitacula & officinæ, in quibus dum defixi & attoniti hærent, rigescunt omnia membra, duraque ac immota fiunt, vox faucibus hæret, pes ne latum quidem unguem moveri valet, totum corpus stupefcit, homoq; stipitis ac trunci immobilis ad instar prosternitur. Præ omnibus variisque causis occasionalibus multum valet illustratque naturam hujus fixationis, imago terroris, siquidem ex improvise terrore, mœrore, gaudio & vehementiori animi commotione alia, ita percelluntur spiritus, ut homo instar statuæ ex templo obrigescat, unde bene exprimit proverbialis locutio totam rem, quando dicimus: *Erschrecken, daß einem der Bissen im Munde bleibet.* Declarat hanc spirituum fixationem profunda meditatio, qua detenti, ita afficimur, ut sæpe ad obvia non moveamur, nec, quid circa nos agatur, vel leviter attendamus. Quamvis autem spirituum in organis sensuum motuumque defixatio vera sit causa proxima; nolo tamen antecedentes & occasionales causas denegare humoribus, sic e. g. contra coagulationem & dyscrasiam humorum nil habeo, quod moneam, par quoque de reliquis occasionalibus causis ferri velim judicium; fusiusque secundum singulas facile me explicarem, nisi angusta hæc charta silentio prætermittere juberet; binis tamen inoneo verbis, ad hanc classẽ, inter plurimas remotiores causas, pertinere e. c. aerem frigidiorẽ & densiorẽ, fumos minerales, cibum & potum acidum, pituitosum, flatulentum, medicamenta incongrua, excernenda & retinenda, multasque causas præternaturales, cachexiam & morbosas dispositiones varias, imprimis vero corporis ac animi vehementes & insolitas commotiones.

§. XLIX.

Sufficiat hæc brevis vitiorum circa somnum vigilasque Pathologia; transeo ad eorundem nunc Semioticam, quæ consideranda exhibet & signa diagnostica & prognostica. DIAGNOSIS quidem statum ægri præsentem; PROGNOSIS futurum ponderabit. De singulis igitur ut singulatim ac seorsim nunc agatur,

agatur, Diagnosin singulorum recensitorum vitiorum licebit brevi enarrare calamo. **INSOMNIA** quidem quod spectat, redundant in propriam somniantis perceptionem, & nonnisi ex relatione cognoscuntur; graviora tamen & turbulenta insomnia subinde adstantes & accumbentes observant, deinde insomniis familiaris esse solet pulsus concitatus, celer & inæqualis; quale vero præcise insomnium infestet nonnisi constare potest ex enarratione. **PAVORUM** nocturnorum signa optime patebunt, si ad corporis concussiones & æger & adstantes attendant, eritque manifesta diagnosi, si differentiam pavorum a consimilibus affectibus probe investigemus. Differt vero hic affectus a terrore, quatenus terror plurimum agnoscit causam externam; pavor autem absque ulla terroris externi occasione invadit, abque interno magis principio, in pathologia supra explicato, generatur; convenit tamen rursus noster affectus cum terrore, quod utrumque malum consistat in quadam corporis conquassatione, percellatque subito & ex improvviso; convenit porro cum epilepsia, quatenus uterque affectus convulsivo motu absolvitur atque adeo fere non nisi gradualis intercedat differentia, ut etiam pavores quibusdam dicantur parva epilepsia, qui tamen ab epilepsia manifeste differunt, quatenus epileptici repetitis concutiuntur vicibus; pavores autem bis & semel tantum concutiant, statimque sic acquiescant; imo vel eatenus differunt, quatenus pavefacti norunt quid ipsis accidat; Epileptici vero ignorant omnia. Ad pavorum naturam porro accedit, **INCUBUS** eatenus nimirum, quatenus uterque affectus potissimum dormientes, nec non subinde vigilantes, vel saltem credentes se vigilare, afficit eosque phantasia ludibriis exponit, in eo tamen differt **EPHIALTES**, quod imaginem ponderis opprimentis concipiat, pavores vero horroris idea affligant, transeantque pavores subito, non æque ephialtes. **INQUIETUDINES** & **JECTATIONES** inter dormiendum signis plane nullis egent, utpote quæ sensibus sunt manifestæ. **INCUBI** signa diagnostica ex ægrotantis propria confessione petuntur optime. Signa vero causarum eo redeunt, ut, si homo de cœtero optime sanus, antequam cubitum eat, alimenta nimis largiter ingurgitaverit, causa debeatur nimiae ventriculi repletioni; flatus occasionem malo præbere, suspicari licet ex torminibus; notabili

bili vero ante somni tempus errore præcedente nullo, viscerum
 status p. n. abundantia & dyscrasia humorum, internæque ad
 convulsionem dispositiones variæ causarum suspicionem præ-
 bent. **SOMNAMBULATIONIS** diagnosi facile superfedere
 possum, utpote quæ in ipsos incidit oculos, signisque non indi-
 get. **POLLUTIO NOCTURNA** pariter non opus habet si-
 gnis, cum in ægri relatione cardo totius cognitionis versetur;
 plerumque tamen pulsus deprehenditur durus, celer & fre-
 quens; urinæ oleosum quid innatat, velut crustula quædam
 albicans instar cremoris tartari & teste *Lommio observ. l. 3. p. 287.*
 in urina filamenta albis capillis similia cernuntur. Color faci-
 ei mutatur in pallidum; oculi concavi venulas ostendunt lividas,
MICTIO INTER DORMIENDUM IN LECTUM, signa re-
 quirat nulla, quæ, vel tacente ægro, ex maculatis obscæno la-
 tice stragulis deprehenduntur. **SUDOR NOCTURNUS** se
 ipsum rursus prodit, ipsiq; ægroti miserum propalant statum.
AGRYPNIA a naturalibus vigiliis discernitur in hoc, quod sa-
 norum vigiliæ amice alternent cum somno quieto; vigiliæ au-
 tem involuntariæ ultra debitum tempus, cum summa inquie-
 tudine, extendantur. Quamvis enim ægri claudere subinde
 palpebras videantur, tamen easdem mox attollunt & ad surre-
 ctionem prompti sunt, incondite nonnunquam manus, pedes,
 totumq; corpus hinc inde dimovent, delirant, absurda quæque
 loquuntur, interrogati difficulter respondent, oculi sunt torvi,
 stertor ac respiratio difficilis adest, deglutitio pariter ægre suc-
 cedit, sæpe e lecto profiliunt & præcipites horribili vultu ferun-
 tur in adstantes, persistere autem non valentes mox lectum re-
 petunt, spectris & phantasmatis tentantur, ariditas oris &
 faucium adest, in gutture undulationes & murmura audiuntur,
 languent membra & nunc tremore & convulsione corripuntur,
 nunc rursus liberantur & demissa jacent. Pulsus esse solet in-
 æqualis, tardus, debilis, interdum frequens. Alvi adest adstri-
 ctio urinæq; suppressio. Quoad excreta urina modo est tenuis,
 cruda, flammea, ubi nimirum febris affligit, modo pauca, ubi hy-
 dropis imminet metus. Nonnunquam surdastri fiunt, & ut plu-
 rimum catarrho, tussi, gravedine, raucedine, vertigine, ventricu-
 li dolore, cephalalgia, febribusq; excruciantur. **SOPOROSO-**
RUM denique ita dictorum, **AFFECTUUM** signa diagnostica
 prolixè

prolixè disquirere supervacaneum duco, utpote quæ in sensus cadunt. Signa vero causarum peti possunt ex suppeditata causarum idea; sic habitus corporis subtumidus, excrementa viscosa, languor & stupiditas indicant, causam occasionalem præbere serum sanguinemque viscidum pituitosumque. Verbo, affectuum singulorum signum universale est inexpugnabilis dormiendi necessitas, linguæ & faucium, si febris adest, ardor, oblivio rerum, pulsus magnus, citatus, interdum retardatus, respiratio nunc salva, nunc læsa, oculi fere semper clausi, color pallidus ac plumbeus faciei, si pungantur respondent quidem, sed oculos vix aperiunt, aut tamen mox denuo claudunt. Præcedunt ut plurimum cephalalgia, vulnera, phrenitis, febres, inflammationes, ventriculi & intestinorum murmura, ructus, oscitationes, evacuationes consuetæ suppressæ aut nimix, plethora, cacochymia & alii adhuc multi morbi. Signa autem CATALEPSEOS diagnostica, ex supra posita hujus morbi pathologia, non difficulter erui possunt; imprimis eam designat cessatio sensus & motus subitanea, cum membrorum totiusq; corporis positu, quo corripitur, non mutato, & rigore, respiratione tamen salva, pulsu magno tardo atque irregulari vario.

§. L.

PROGNOSIS, quæ de futuro ægri statu morbique eventu judicat, singularem postulat prudentiam, cum enim nemo facile medicorum, ex primo morbi intuitu, instar Oraculi, exque tripode, certum quid enunciare valeat; sæpe enim levissimum morbi initium lethalis exitus, & tristem primam morbi faciem exoptatus sequitur eventus; neque nimis timide omnes morbi pro lethalibus, neque nimis audacter promiscue pro levibus venditari, multo minus, empiricorum more, absq; ratione certa ad horam & diem salus aut mors alligari debet, sed fastu omni arrogantiaque deposita, Prognosis hæsitanter & candidè est ferenda, infallibiliter enim nihil poterit de salute aut fato imminente prædici. Si vero adstantes perpetuo urgent prognosin sufficit dixisse: *Es wird harte halten, oder, es ist mißlich*, aut si salutis signa adsunt: *Es wird schon besser werden, wenn sich der Patient recht halt*. Atque sic ansam calumniis præripimus, nec ludibrio nos & salutarem artem exponimus. His præmonitis prognosin vitiorum circa somnum vigiliasque ferendam

F 2

modeste

modeste nunc aggredior. In genere de omnibus singulisque moneo: quod, quo magis vires decrescant, morbi autem vires accrescant, eo tristior futurus sit eventus; & quo magis naturæ vires accrescant, morbi autem vires decrescant, eo felicior sperandus sit eventus.

§. LI.

Sed nunc ad singula somni vigiliarumque vitia. Et quidem ad INSOMNIA primum quod attinet. Blanda cum quiete somnia nihil alunt mali ominis; confusa vero, turbulenta, inquietantia ac emaciantia spirituum æque ac humorum, imo mentis ipsius statum perturbatum arguunt, unde morborum sæpe esse solent prodromi, imo imminentium deliriorum signa. Quod egregie exprimit *Hippocrates L. de insomniis §. 3. p. 634.* Quæcunque, inquit, insomnia mens hominis in noctem offert per somnum, de diurnis actionibus, & reddit quomodo facta sunt, hæc homini bona sunt; quum autem insomnia diurnis actionibus obversantur & de ipsis pugna oboritur, cum sane hoc contigerit, turbationem in corpore significat. PAVORUM NOCTURNORUM prognosis non immerito, pro causa acriori aut remissiori, vel tristis, vel minus potest dici; suspicionem ut plurimum mali latentis & periculi imminentis præbent, nec raro epilepsiæ esse solent prodromi; tristis imprimis est prognosis, si pavores febribus continuis supervenerint, quod ipsum innuit *Hippocrates aph. 67. S. 4. ἐκ τῶν ὑπνῶν φόβοι* pavores ex somno orientes malos pronuncians. JECTIONUM & INQUIETUDINUM prognosis rursus incertitudinis est plena. Si forte semel vel bis acciderit inquietus somnus, non iteratis vicibus, neque viribus sensibilibiter prostratis, periculi parum alit, si vero plus simplici vice cum insigni virium jactura contigerit parum solaminis promittere medicus potest. Neque inquietæ jectationes morborum imminentium vel actu præsentium filia abibunt, priusquam ipsarum genetrix penitus profligata fuerit. Sic, quomodo quietus promitti poterit somnus, si noctis somnique tempore tussi vehementer concutiatur ægrotus, etenim non tollitur effectus, nisi causa antea sublata. INCUBUS s. EPHIALTES a causa occasionali externa v. g. crapula, adeo periculosus non est, qui vero a causa interna aliquoties subinde redit, facile in alios transit

transit

transit morbos; qui, ob decubitus, familiaris est, supinum, mutato situ mutabitur simul; invadens vero ob πολυφαγίαν, tandem pessima continuata diæta alios relinquit affectus, cephalalgiam, epilepsiam, apoplexiam, malum hypochondriacum &c. quod testatur *Bonett. anat. pract. l. 1. Sect. 5. p. 153.* se nosse plures, dum juvenes ephialte laborassent, provectiore ætate ab eo quidem immunes, tremore, palpitatione cordis, aliisque circa præcordia & hypochondria doloribus & spasmis gravissime fuisse afflictos. **SOMNAMBULATIO** facilioris est curationis in iis subjectis, quæ non adeo validam habent phantasi- am, difficilius curatur in iis, quæ ad imaginationes fortes & impressiones firmiores naturaliter sunt disposita; nunquam le- thalis quidem est per se, fit tamen non raro per accidens, si nem- pe inter excurrendum casu homo decidat. Deniq; observavit *Horst.* quod, si diutius hoc detinentur malo, tandem in apople- xiam, & *Sennert.* in epilepsiam, atque *Sylv.* in melancholiam hypochondriacam, incidant. **POLLUTIO NOCTURNA** non adeo periculosa est; nisi forte singulis noctibus semel vel pluries etiam contingat, quæ tamen diætæ regimine & congrua medicamentorum applicatione, imprimis conjugio solvitur. Ubi autem nimis accrescit malum, vires autem decrescunt, tri- stis erit morbi eventus. **MICTIO IN LECTUM**, si a sphin- ctere debili, & jam profectiori ætati accidat, mali ominis est; consuetudinaria vero & ex malitia commissa, morali tollitur re- medio. Ex *Sennerti* sententia hoc vitium infantibus & pueris, quando robustiores fiunt & pudoris majorem habent rationem, sæpe sine medicamentis tandem cedit; & *Forestus* in *Schol. obs.* 21. l. 25. testatur, infantes hoc vitio, quamvis iis non suc- curratur medicamentis, per se tandem adultiori ætate curari. Interim id nolo taceri, mictum nocturnum involuntarium aliis morbis supervenientem, ubi vires prostratæ, mali esse judican- dum ominis. In Prognosi autem **SUDORIS NOCTURNI** de- claranda monuisse sufficiat, senes, ut plurimum, & emaciatos magis periclitari, ac juvenes & corporis vigore gaudentes: Ut- plurimum tamen sequitur totius corporis contabescencia, nu- tritioni enim & alimentationi decedit pabulum & ipsa M. S. in statum paupertatis deducitur; adeoque probe est disquirendum, an cum *ιυφογία* vel *δυσφογία* contingant sudores dormiendum inter;

inter; si sero multum abundantes affligant, & bene inde sese habeant, nihil erit timendum; neque omnis abjicienda erit spes, si viscerum adhuc integritas constet & malum cum morbis gravioribus non sit conjunctum inveteratumque. In **AGRYPNIA & PERVIGILIO** nonnisi difficilis esse potest prognosis, utpote in hoc uno atque unico morbo, pessimorum symptomatum perniciofa multitudo ac infausta malorum affligit lerna. Vigiliæ quidem cum somno parce admodum interpolatæ vitæ & virium voraces sunt, attamen longe periculosiores fereque lethales sunt vigiliæ continuæ, cum lassitudine summa, nulla tamen somni perfruitione, cum concussione & delirio superveniente, unde ipso *Coo 7. aphor. 18.* asserente spasmus & delirium in vigiliis malum judicatur. Imprimis vix quicquam spei superest in senibus; illique majori versantur in periculo, quibus & spirandi adest difficultas, & urinæ suppressio, & alvi adstrictio & virium subitanea ac plenaria prostratio. **COMATIS SOMNOLENTI** prognosin quod spectat, statim apparet, ægrum periculo non vacare, difficillimumque curatu esse hunc affectum; imprimis fore valde exitialem, si supervenerit morbis acutis, febribusque continuis, teste enim *Hippocrate S. 2. aph. 1. 3.* lethalis evadit, denotat enim insignem virium lapsum, humorumque coagulum. In senibus & virium robore destitutis subjectis communiter determinatur tandem in apoplexiam & paralyin. In **LETHARGO** qui vehementer tremunt & difficulter respirant, neque sternutamentis, licet fortioribus, excitari possunt, morti esse credo proximos; ubi vero non adest spirandi difficultas, ægerque est adhuc dum excitabilis; neque affectus supervenerit morbis acutis, spes abjicienda penitus non erit; mitior redditur affectus & paulatim ad agilitatem pristinam redeunt spiritus, si pituita solvitur, evacuationesque fiunt criticæ, per nares in coryza; per sreatum in tussi; per spontaneam alvi dejectionem modicam; perq; transmutationem lethargi in benigniorem morbum. **CARUS** quo profundior eo periculosior, acuto imprimis morbo superveniens, maxime si repente accidat & citra causam manifestam oboriatur. Difficilior est idiopathicus symptomatiko. Periculo plenus est, qui dependet a vulnere, luxatione, plaga, ictu, fractura, fistura, vertigine subitanea, & sic porro; facilior est, qui a frigore

a frigore

a frigore externo; & levi alia externa causa, ubi vires prostratae non sunt, evenit, sensimque remittit per varias crises, e.g. sudores, haemorrhagias, alvi secessiones &c. Longius durabit affectus, si periodice affligat, determinabiturque tandem vel ad mortem vel ad alios saltem morbos. **CATALEPSEOS** eventus nunc tristis, nunc minus esse solet, prout plura & graviora concurrunt symptomata, imprimis spirandi difficultas fatalem praesagit exitum; non raro degenerat hic affectus in apoplexiam, epilepsiam, suffocationem, oculorum distorsionem, subitam virium dejectionem; quae si accidant vel *Hippocrate* enunciante *l. 3. Prorrhet. text. 4.* periculosam esse Catochen, certo praesagiunt.

§. LII.

Omnis denique spes felixque vitiorum satis sic explicatorum eventus, largo beneficio, succedit petique debet ex triplici Therapiae fonte, nempe **CHIRURGICO, PHARMACEVTICO & DIÆTETICO**; ex quibus nunc mearum erit, medelam atque curam singulis singulatim designare vitiis.

§. LIII.

Chirurgia in genere commendat V.S. non tamen promiscue sed ubi sanguinis urget copia, *σάσις*, ejusque critice fluentis retentio, simili intentione admittit scarificationem, imo quandoque hirudinum applicationem, prudentiam tamen requirit semper, quare attendere jubet medicum, an aestus, orgasmus vasa turgida & tuta alia indicantia adsint, & vice versa, contra indicantia alta rimari mente jubet sedulo, e.g. senilem aetatem, virium dejectionem, pulsum debilem ac parvum, aliaque brevi charta non enumeranda, de quibus tamen videri possunt: *Septal. in Animadv. medic. L. VI. p. 144. Aret. L. I. Curat. acut. C. 2. Diemerbræk Diss. Pract. P. I. Hist. VII. aliique Practici.* Pro feri abundantia avertenda, simulque aegris excitandis & ad se reducendis commendantur vesicatoria nuchae & brachiis applicanda, quorum felicem successum annotarunt *Willis C. 8. de Apoplex. Chesneau l. 5. observ. 31. Hercul. Saxon. in Praxi* subinde, quorum etiam vicem supplere possunt interdum setacea & fonticuli, si nempe scopus sit serum eliminandi; aegrotis excitandis svadent quidem chirurgi cauteria, verum, dum igne & ferro aegri tractari nolunt, atque non deficiunt benigniora, facile etiam felici destitui

destitui

destitui possunt effectu, ne ignominiam arti salutari conciliemus, abesse potius velim dura, & hoc tempore insveta ac ingrata remedia; interim tamen laudantur a *Rhasen. Tr. de cauter. & Marc. Aurel. Severin. L. 2. Pyrotechn. P. I.* Majoris facio efficaciam pro ægris excitandis frictions, capitis, spinæ dorsi & artuum, mediantibus pannis calidis interdum etiam spirituoso liquore imbutis, quorsum etiam collimant ligaturæ, vellicationes, acclamations, concussions, urticationes & commotiones aliæ, cum iudicio & circumspectione nunc admittendæ nunc culpandæ. Specificè mingentibus in lectum propter luxatam spinam, distortumque os sacrum excogitavit Chirurgia scamnum Hippocratis a *Sculteto* depictum & alia instrumenta a *Galeno, Avicenna, Aquapendente, Vidio* & aliis recentioribus inventa; emplastra, foci, modique varii restituendis partibus congrui evolvi possunt apud *Zacutum*. Vesicæ calculi arte chirurgica nunc per catheterem repelluntur, nunc commodum in situm positi a Lithotomis extrahuntur, ope quidem speculi, forcipis vel etiam cultelli, &c. vulnera vero ejusdem per balsamica, consolidantia & tonica sanantur ex artis lege. Applicat consentientibus ægris chirurgus varia adhuc externe, non omnia hic consignanda, e. g. vesicam bubulam, genitalibus pro excipiendo dormiendum inter obscæno latice. Reliqua singulis affectibus specificè applicare in præsentis prohibet brevitatis habenda ratio.

§. LIV.

Pharmacia secundum varias causas varia suppeditat medicamina, indicationi congrua & salutaria. Specificè igitur, ut singulis singulatim vitiis sua nunc designentur remedia, singula quoad summa nominabo capita & classes, apparatu omni minus necessario & imprimis superstitioso ac machiavellico penitus superhabito. Igitur primo loco ad INSOMNIA turbulenta quod attinet, hæc si aliorum morborum producta & pedissequæ fuerint, ratio haberi debet morborum ex suo capite, ut remota causa removeatur insomniorum turba. Ubi vero morbis nondum manifestis insomnia affligunt, sedulo causa est investiganda. Si, e. g. chylificatio aucta, qua omnes tubuli subtilissimi particulis nutritiis repleti turgent, tolli poterunt per abstinentiam & sobriam vitam; si dyscrasia humorum accusetur, conveniunt

pro

pro diversitate varia, sic lentorem corrigunt salia, acrimoniam, temperantia ex materia medica notissima. Acidum si peccet, corrigente ant-acido opus erit, nunc alcalia, nunc terrea & martialia conveniunt, imprimis adversus insomnia hypochondriacorum laudari meretur specificè Tinctura Martis c. succo pomor. borsdorff. Ex mala diæta si originem habeant, vitanda sunt omnia dyspepta & flatulenta præcipue; si vero causa idealis fuerit insomniorum genetrix a facto aliquo tristi, casu infauſto, a mœrore, furore, vindictæ cupidine & quacunquẽ actuum diurnorum forti impressione, mala quandoque conscientia prava imputante facta; certe Cura potius esse debet moralis quam physica, atque ipsæ ideæ & occasiones earundem per contraria tolli optime poterunt, nempe animus componatur ad hilaritatem, tranquillitatemque. Denique ubi decubitus supra dorsum causæ præbet suspicionem, situs mutari debet in alterutrum latus.

§. LV.

PAVORUM NOCTURNORUM remedia causis accommodata sint quo nomine diversa locum commode inveniunt. Multum hic pro spiritibus placandis humorumque simul motu temperando valent anodyna, antispasmodica & absorbentia, an autem præ reliquis primatum specificè mereantur alcis ungu- læ & cornu ejus, ideo, quia hocce animal epilepsia laborans hi- sce uti creditur, valde dubito, qui tamen remota hac superstiti- osa traditione tanquam egregium absorbens, sicque ut anody- num hoc utique remedium approbo. Quidam aquam hiru- din. singulari modo paratam prædicant quam maxime; de cujus tamen viribus nondum, cur adeo specificè operetur, convictus anceps hæreo; quicquid operatur, id omne præstabit additi castorei beneficio. Alii insigni laude efferunt pœoniam & be- tonicam, quarum virtus dum externorum sensuum judicio, nec sapore nec odore determinari certo potest, per experientiam solum judicanda erit, cumque propria hac in parte suffultus non sim, provoco ad *Magnifici RIVINI, Præceptoris mei æternum de- venerandi*, utpote qui observavit, in utroque latitare virtutem hypnoticam, & præterea betonicam vim leniter laxandi posside- re, unde de nihilo non esse ejus usum, colligo. Si forte vermes subsint; eo dirigenda cura omnis erit, ut enecentur ac educan- tur cito ac tuto. Ubi tamen ab amaris abstinendum erit ac rio-

G

ribus

ribus & ubi odor saporque est nauseosus, utpote quibus irritantur vermes, facileque inde malum redditur acerbius, insipidis autem decipiuntur, vel etiam dulcibus, quare iusta cautela & dosi convenit Mercurius dulc. c. sacharo, si autem per errorem inconueniens remedium fuerit propinatum, quod irritaverit vermes, copiosum lactis potum commendo. Respectu spirituum sedandorum nominanda sunt & excitantia & dolorem sistentia. Respectu humorum conveniunt adversus acrimoniam acidam, C. C. ust. terræ sigilli. corall. &c. si dentionis sit suspicio, pro arcano habetur spiritus antepilepticus ex Laudano fermentato Langelotti paratus. Si ab alvi adstrictione proveniant, præscribatur chysma anodynum. Si variolæ & morbilli aliique morbi imminentes aut actu præsentis in causa fuerint, singulorum morborum habeatur ratio. In febribus autem malignis pavores optime sedantur in genere per expellentia mitiora cuiusvis obvia.

§. LVI.

JECTATIONUM ac INQUIETUDINUM cura plurimis obtineri potest remediis. In genere ut paucis me expediam, omnia eo redeunt, ut spiritus inquieti, anxii ac turbati quovis congruo sedentur placenturque medio. Causis vero occasionalibus optime prospicitur, si auferantur penitus, unde si ansam varii præbeant morbi, aut ad eosdem dispositiones e. g. febris; antifebrilia & sic porro alia morbis semper congrua sunt propinanda, humores crudi indigesti; vel erunt digerendi, vel evacuandi penitus per vomitum aut purgans. Si vero animi pathemata, graves & tristes curæ quietum somnum non concedant, morali remedio succurri debet.

§. LVII.

INCUBUS s. EPHIALTES postulat remedia phantasiæ errorem corrigentia & molestam diaphragmatis pressuram removentia. Ante omnia incubo vexatis stricta imperetur diæta, abstineantque prorsus ab omnibus flatulentis, deinceps præscribuntur carminativa c. laxantibus. Pari scopo inserviunt digestiva & absorbentia, dyscrasiam & nimiam humorum abundantiam in corpore corrigentia, ut per cutis spiracula, diaphoretica. Salutarem itidem fructum afferre possunt diuretica e. g. magist. 69, sal. genist. cichor, oleum succini Bals. sulphuris juniperati aut there-

therebinthinat. Neque omittenda sunt remedia confortantia e. g. Tinctura corall. Ess. Lingn. aloës, species diambri, diamoschi. Conf. alckerm &c.

§. LVIII.

SOMNAMBULATIONIS cura est præstanda vel in ipso paroxysmo vel extra eundem. In genere moneo, probe investigandum ante omnia esse, anne morbus sit vere simulatus, quod si fuerit, moralis quadrat cura. De reliquo ad depravatam phantasia & ineptam imaginationem cum in tum extra paroxysmum probe debet respici. Quando vero actu in præcipitiis versantur, terror ipsis incuti non debet, ne delapsus sequatur fatalis. Ad lectum vero quando redeunt, aut e lecto egredi volentes duris tractandi sunt castigationibus, ut, si forte dolus & nequitia subsit, justam luant poenam, sin minus, hoc tamen duriori licet remedio experge fiant, errorisque sui convincantur pravaque imaginationis idea avertatur, sicque ob castigationis impressam ideam relinquunt ex metu pristinam somnambulationis; non opus autem erit verberibus, ubi verbis idem obtineri poterit finis. Interim pharmacia suppeditat & sua hic remedia, & quidem orgasmum humorum sistentia, humores pravos corrigentia & acidum præcipitantia, bilem abstergentia, pituitamque incidentia, nunc etiam vomitoria & purgantia, omnia notissima ac recensione vix indigentia.

§. LIX.

POLLUTIONI NOCTURNÆ mederi pharmacia studet per varia causas convenientia remedia. Si nimia aquositas sit in culpa conducunt ante omnia purgantia hydragoga, atque sudorifera, deinde motus & exercitia corporis ad sudorem usque. Si acrimonia accusetur, mire valent antimonialia præmissis evacuantibus, ut & diluentia largiter sumpta, curamque absolvant incrasfantia, inviscantiaque e. g. Trajac. Gumm. Arab sangv. dracon. Terræ pinques, alabastrum, off. sep. corall hæmat. sacchar saturni, &c. & denique optime spiritus avertunt, studia, laboresque. Si vero oritur pollutio hæc dormiendum inter a cubatione in dorsum, a pressura vesicæ urina impletæ, liquor obscænus non retinendus, situs vero in alterutrum latus mutandus est.

§. LX.

MINGENTIBUS DORMIENDUM INTER IN LECTUM svadet pharmacia tonica & roborantia, temperantia & absorbentia, leniterque adstringentia. Sic nominatim conveni-

unt: Salvia, primula, veris, ruta; flor. Chamom. stœchad. ros. rad. Sarsap. Chinæ; ligni. fassufr. guajac. juniperi, fantali, rad. a-cori, bristortæ, torment. Myrobalan. quæ cum innumeris aliis varia forma & interne & externe in usum venire non sine euphoria possunt: varia balnea, unguenta nervina, fofus, imo vulgi superstitiosa amuleta, in præfenti ponderare ac recensere non possum, alia adhuc multa lubens omitto.

§. LXI.

SUDORES NOCTURNI cum raro affligant solitarii, sed ut plurimum scorbuto inveterato vel febribus cachecticis, imo etiam malignis multisque ac variis morbis complicentur, quilibet facile intelligit, curam esse unice ex cura singulorum morborum, quibus proveniunt per sua decentia remedia expectandam. Interim tamen semper pharmacia tradit remedia, quæ resolutionem & secessum feri a sanguine nimium inhibere & causas hujus colligationis varias! removeere valent. Sic, si dudor a colluvie serosa in primis viis collecta obortus fuerit, conveniunt abstergentia & laxantia mitiora e. g. rhabarb. magnes. F. S.S.S. *Sic Riverius Cent. III. observ. 80. solo pulv. Gialap. aliquoties cum crem. tartari exhibitio, trium mensium spatio affectum hunc a se feliciter curatum fuisse perhibet.* Præcipua tamen curationis spes in acrimoniam sanguinis alterantibus, tonum viscerum digerentium corroborantibus, orgasmum humorum temperantibus & glandulas præternaturaliter laxatas patulasque firmantibus sita est; quæcunque igitur talia præstant, ea omnia huc quadrant.

§. LXII.

VIGILIIS INVOLUNTARIIS Pharmacia causis accommodata suppeditat remedia. Ut igitur, si oriantur a morbis imprimis dolorosis, febribusque ardentibus & malignis, non alia exhibenda sint medicamenta, quam quæ ipse morbus postulat. De reliquo & imprimis ubi solitarie aut perse affligit pervigilium, somnus aliis acquiri commode non potest remediis, quam spirituum sedativis f. hypnoticis. Sed ante omnia removenda sunt objecta, spiritus a quiete avocantia, cubiculum eligendum, ad quod tumultus penetrare non valent; calor externus ambiens æque ac internus humorum, eorumque; orgasmus est temperandus, dyscrasia humorum æque ac viscerum est corrigenda spiritus distrahendi a dolore, curis mœrore, & omni animi commotione dolorifica.

Quoad

Quoad ultimam indicationem medio potius interdum morali quam physico utendum est; attamen egregie dolorem sopiunt & propinata medicamenta & generosa potulenta. Sic vinum moderate & cum debitis cautelis, sumptum & leniter blandique expellit, pravos humores resolvit, flatus discutit ac imprimis animi dolorem, tristes curas ac mœrorem dulci sopit somno; medicamenta vero inter eminent quoad spiritus demulcendos omnia anodyna & hypnotica, utpote quæ egregie somnum conciliant, qualia sunt opium, crocus, flor. papav. errat. sem. papav. alb. rad. nymph. &c. velim tamen imprimis circa opium summam & exhibenda dosi & in applicatione in genere semper adhiberi medicam prudentiam, ne spiritibus penitus suppressis æternus fatalis inducatur somnus. Quod ad humores attinet, temperari hi poterunt variis congrue applicatis, e. g. emuls. sem. refriger. nitratis, vitriolatis, terreis, mucaginosi & absorbentibus pro varia acrimonia variis, itidemque abstergentibus & diluentibus, antispasmodicis & alterantibus quibuscunque. Nec incongrue diuretica & evacuantia interdum in subsidium vocantur, ubi & primæ viæ & sanguis mali mineram fovent, quæ omnia, utpote notissima, cuius sunt obvia. Variæ observationes de variis somnum inducentibus remediis legi possunt apud *Horat. Augenium L. 5. epist. 7. Sim. Paul. Quadrip. Botan. Class. 2. p. 101. Lang. in Epist. Med. L. 3. C. 6. M. N. C. D. 1. H. 6. observ. 171.*

§. LXIII.

SOMNI e contrario NIMII & PLUS JUSTO EXCEDENTIS curam pro variis causis variis itidem & in & extra paroxysmum remediis obtinemus. Et quidem quod ad causam proximam attinet, spiritus si deficient, analeptici sunt restaurandi, torpidi vero excitandi. Ubi sopor affligit propter abusum opiator. & narcotic. ante omnia ad vomitum disponendus est æger, vel vomitorio confveto, vel etiam potu largiori imprimis nauseabundo, e. g. *Blasen-Wasser*; imprimis tum conveniunt acida, quæ opii vim violenter destruunt, e. g. acetum rutaceum, lil. convall. lavend. flor. tunic. spiritus virid. ær. sulphuris & vitrioli. Eadem hæc ipsa locum commode inveniunt in sopore febrium; imprimis acida volatil. si quis casu croci sacculo superdormiat, illi sine mora analeptic. exhibeantur. Deniq; causas occasionales respiciat in cura medicus, quare si peccent humores crudi, pituitosi, propinet

aromatica, incidentia ac resolventia, qualia imprimis sunt destil-
lata olea rutæ, cochlear. saliv. &c. essentiæ acriores e.g. thymi, serpil-
li, faturejæ, rorismar. & externe species pro fomentatione: e.g.
majoran. lavend. saliv. faturej. flor. sambuc. bacc. juniper. & lauri,
&c. qualia cum hujus generis innumeris aliis ex materia medica
notissimis, porro commendari merentur, pro speciebus, ad cucu-
phas, decocta, infusa, balnea aut pediluvia. Imprimis potus cali-
dus Theæ & Coffee diluendo soporem cum admiratione tollit, sti-
mulat enim continuo spiritus, humoresq; crassos attenuat. Deniq;
cum nonnunquam hic affectus sudore finiatur, medicamentis di-
aphoreticis promovendus erit. Atq; quo fatalis imminens ruina a-
vertatur in paroxysmo omni modo prospiciendum, ut æger exci-
tetur & in vigore conservetur, quem in finem Pharmacia suppeditat
varia odoramenta, balsama, unguenta, olea svaveolentia æque
ac graveolentia, errhina & pulveres sternutatorios varios, suffimi-
gia & alia ejusdem virtutis pro idiosyncrasia ægroti varie appli-
canda &c. Sic *Paschalius* commendat pilos ustos c. castor. mixtos,
itemque fumum pennarum nec non cornuum iustorum. Magis
grata sunt svaveolentia e.g. spec. diamajoran. Myns. flor. Stœchad.
arab. ros. anth. gumm. galban. mastich. benzoe, styrac. acet. rutac
acet. bened. Ruland. acet. squillit. succus lil. convall. pro pulvere
sternutatio inserviunt pulv. sem. nigell. f. sinap. nasturt. &c. mul-
tum etiam e re fuerit, si suppositoria & clysteres simul jungantur,
quæ tamen quoad specifica recensere brevis non permittit char-
ta, quare silentio prætermittenda sunt vomitoria, purgantia, ma-
sticatoria, apophlegmatizantia, qualia tamen a practicis aliis lau-
dantur, ab aliis culpantur, evolvi autem possunt; *Sylv. in Praxi
medic. Avicenn. River.* atque innumeris alii.

§. LXIV.

De CATALEPSI tantum adhuc monenda quædam restant,
in qua extra paroxysmum vix medicamenta postulantur in paro-
xysmo vero omnis eo dirigi debet cura, ut spiritus animales atto-
niti & defixi extraque se velut rapti excitentur, deinde ut humo-
res coagulati stagnantes & heterogenei alterentur. Utrique indi-
cationi pharmaca indicata respondent. Pro spiritibus excitandis
inque motum citandis eadem conveniunt, quæ §. antecedenti fu-
ere commendata, huc denuo non transponenda. Alteri indica-
tioni

tioni varia rursus congruunt remedia, nempe attenuantia, diluentia, incidentia, haectenus saepe jamjam citata & ad nauseam nunc non recognoscenda. Ex quibus varia diversaque forma congrua componi pro lubitu aegri & prudentia medici possunt.

§. LXV.

Demique ut ex voto & *Chirurgica* & *Pharmaceutica* procedat cura, accedere debet semperque subjungi simul *Cura Diætetica*, quæ consistit in prudenti sex rerum non-naturalium moderamine, sine quo frustranea erunt omnia medici consilia & medicamina. Brevis itaque ut sim, potiora saltem in genere coronidis loco adducam. *Insomniis* afflicti evitent sedulo flatulenta, & omnis generis dyspepta, cœna esto brevis, animi pathemata quieta & placida, lectumque ingressuri omnes cum vestibus deponant graves curas, tristes ideas, & fortes diurnorum actorum impressiones seseque, quantum possibile ad tranquillitatem placide componant. *Pavoribus* afflicti, aerem quærant serenum, cibum εὐχυμον καὶ εὐπεπτόν, potum bene defecatum & nervinis medicatum; debiles quietem, robusti motum, phlegmatici somnum parcum, sanguinei longiorem omnesque animi pathemata sedata commendata sedulo sibi habeant. *Inquiete* in lecto hinc & inde sese *jectantes* ante omnia alieni sint somni tempore, ab ideis tristibus & anxiiis, abstineant a nimia ingurgitatione ciborum potulentorumque imprimis calide & copiose hausti Theæ aut Coffee, neque eligant cubiculum nimis calefactum. *Pollutionem nocturnam* qui patiuntur, caveant ne in dorso jaceant, aerem eligant temperatum, motum corporis blandum, cibum potumque parcum & laudabilem & si conceditur, honestum eligant conjugium. *Mirgentes in lectum* præprimis tenuia potulenta ante somni tempus non ingurgitent, acria omnia & salsa fugiant, semperque vesicam, antequam cubile petant, sufficienter evacuent. *Sudoribus nocturnis* afflicti, eligant cubiculum non plus justo calidum, assumant alimenta & potulenta gelatinosa & glutinosa, e. g. juscula & pulmenta e gallinis, pedibus vitulinis, cancris, pineis, pistaceis, amygd. & similibus parata, utanturque sedulo decocto hordei c. rd. scorzonæræ. *Ephialtici* ingluviem præcipue ante somni tempus studiose vitent, imprimisque flatulenta, leguminosa, e. g. fabas, pisa, infumata, cerevisiam feculentam, carnes nimis pingues & muriaticas; cibi condiantur carminativis, motus corporis sit moderatus, impressionibus

bus

bus animi firmiteribus & phantasiæ fræna laxanda non sunt, alvus semper sit aperta, aer purus & temperatus, viteturque semper decubitus supinus, neque dormiendum declivi capite. *Somnambuli* imprimis cœna parca contenti sint, motusque corporis & animi tranquillus sit, dormiant in cubiculo bene clauso, neque soli, sed socium sibi adjungant, qui a nocturno itinere statim possit aditum præcludendo ipsos avocare, præcipue non indulgeant phantasiæ & imaginationis pravæ consuetudini, erroneasq; hujus ideas & imagines abigere studeant morali qualicumque subsidio. *Vigiles insomnesque totas ducentibus noctes*, commendo aerem temperatum, motum corporis, maxime animi sedatum & tranquillum, juscula, gallinacea, amygdalina, caponum, gelatinas, carnes recentes non multum conditas, nec fumo induratas, potum tenuem, refrigerantem æstumque & sitim sedantem, alvum semper apertam. In *soporosis affectibus* victus esse debet tenuis & attenuans, faciliorisq; digestionis, aromatibus pituitam incidentibus & hb. cephalicis conditus, e. g. cinamomo, hyslopo, majorana, similibusque. Nasturtii esum specificè commendant *Gvilielm. Rondelet. method. curand. morb. L. I. C. XIX. Petr. Forest. observ. & curat. med. L. X. Obs. 10.* miraturque l. c. *Rondelet.* quod alius medicus asseruerit, nasturtium conciliare somnum. Carnes sint boni succi e. g. perdicum, gallinarum, vitentur autem pisces, cucumeres, lactuca, & lacticinia, omniaque quæ pituitam augment. Potus sit tenuis & bene depuratus, ut decocta ex plantis nervinis & incidentibus, infusum Theæ & Coffee calide largiori concedatur dosi. A somno semper excitentur forti acclamatione, divertanturque amicis colloquiis. Motus corporis omni modo svadendus, animus ad hilaritatem & tranquillitatem componendus; aer sit moderate calidus, purus, lucidus, odoribus gravioribus & svaveolentibus imprægnatus. Excernendorum & retinendorum in genere ratio habenda est, alvusque segnior sui moneatur officii, transpiratio suppressa reducatur, urinæ emissio servetur salva, & omnia secundum naturæ leges procedant indies. Sic felix erit, precor! morborum Disputationisque simul

FINIS.